



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

B.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)



B.

TITULUS I.

BACCHANALIA.



Apparuit ei Dominus. Gen. 18. 1. *in ipso fervore diei*, & mira ei promittuntur. S. Ambr. l. 1. c. 3. Ante ostium sedebat Abrahamus, sedebat meridie; quando alii requiescebant, iste hospitem explorabat adventum: merito illi Deus apparuit. Sylv. in Jo. 4. q. 8.

Immisit Dominus p. silentiam in Israel de mane usq. ad tempus constitutum. 2. Reg. 24. 15. *Sept: dedit Dominus mortem in Israel à mane usque ad horam prandii.* Ut etiam advertit S. Cyrillus Alex., Hugo, Lyr. &c. qui omnes docent, quòd David per totum illud tempus erat Deum exorans in cilicio, & cinere. Sed, cum tempus penitentiae assignatum esset trium dierum v. 13. cur usque ad prandium solum duravit? & nunc cessavit? Manè orabant etiam alii, meridiano autem tempore omnes cibo, & potui, indulgebant: Rex solus jejunus, temperans, & orans. Sylveira in Joan. 4. q. 8.

Filiis Berzellai Galaadite reddes gratiam; eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugeram à facie Absalom. 3. Reg. 2. 7. Lib. 4. insinuat. c. 6. S. Gertrudi Ordinis S. Benedicti, nocte Dominicam hanc sequente apparuit D. Jesus sedens in throno gloriae; sedebatque S. Joannes Evang. ad pedes ejus scribens. Quarenti illi, quid scriberet? respondit Dominus: ego singula obsequia congregationis hujus heri impensa, & per duos sequentes dies impendenda, curo annotari; ut cum ego, tui Pater omne iudicium dedit, unicuique post mortem fideliter reddidero mercedem bonam, pro operibus bonis; & superaddidero mensuram confortam ex fructu mortis, & passionis meae; ducam eos cum hac charta ad Patrem, ut ex paterna benignitate superaddat eis mensuram coagitatam, & superetlulentem, pro beneficiis mihi exhibitis in hac persecutione, qua à Mundanis infestor. Si enim Rex David, qui omni tempore non praetermisit beneficentibus sibi correspondere, die mortis appropinquante, cum regnum deponeret in manu Salomonis, dixit ei: *filius Berzellai, &c.* quanto magis ego omnium fidelissimus non obliviscar compensare his, qui mihi fideles fuerint in adversitate hac: quia, sicut à quovis magis acceptatur beneficium exhibitum in adversis, quam prosperis; sic magis accepto fidelitatem, quae mihi modo exhibetur, dum Mundus plus peccando me infestat.

Sanctus! sanctus! sanctus! Dominus

Deus exercituum plena est omnis terra gloria ejus canunt Seraphim II. 6. 3. id est, divinis ejus donis, & beneficiis, quibus se à falsis diis differre saepius testatur Diez ser. 4. D. 1. Quadr.

Invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in praesepio. Luc. 2. 16. Cur non invenerunt Dominum servi vigiles? & illi servi, qui dum alii somno sepulti sunt, illi pascendis gregibus dant operam. S. Chrylost. hom. de Samarit. horâ sextâ, quò tempore quieti à labore vacabant omnes, tunc illa hydriam arripens aquam advehabat. Noverat ergo Dominus, quam horam caeteri captandae quieti dabant, illâ solere istam advehendae aquae vacare: propterea horâ sextâ Dominus abiit. Itâ ille. Praeflantior Magdalena Samaritanâ, & ipsa Christum sibi praeripuit. Dum Pharisaeus mensae accumbit, omni aliâ debiti obsequii curâ feriatu, ipsa, cibi, potusque immemor tota in Christi servitium effunditur. Luc. 7. 57.

Erat autem in proximo dies festus Judaeorum. Jo. 7. 2. *Ego autem non ascendo ad diem festum istum.* v. 8. S. Aug. q. 78. novi testam: Ascendit, non quasi ad diem festum, sed quasi ad licem: illi enim omnes laeti ascenderunt, quasi ad perfruendas delicias diei festi: Certum est enim, quòd non ascendit ad diem festum: is enim illi fuit dies festus, quòd passionem suam redemit Mundum: hic dies festus ejus, in quo vicit mortem. Sylv. hic in Math. c. 14.

In illa hora factus est terra motus magnus. Apoc. 11. 13. In qua scilicet cives Jerusalem laeti, munera mittentes, Elias & Enoch reviviscerent, factò magnò terrâ motu decima pars urbis cecidit. Gaudium impiorum breve, ex quo ad summas miseras transeunt. Luc. de Velloso in Apoc.

Ceteri occisi sunt in gladio. Apoc. 19. 21. Probabile est, diem resurrectionis generalis fore eundem, quòd resurrexit Christus, puta diem Paschae: Suppositis his duobus principiis; scilicet primo, à nece Anti-Christi usque ad diem iudicii, & resurrectionis, praecise fore 45. dies. Secundo, resurrectionem fore ipsò die Paschatis; sequitur, Anti-Christum occidendum finitis Bacchanalibus. Notent hoc, & metuant Bachantes. Corn. à Lap. hic.

O quantâ compassionè dignus est nunc serè totus Mundus! consideratâ in quolibet statu paupertate divinâ cognitionis, & timoris. Quis non debet per compassionem cum Apostolo infirmari 2. Cor. 11. 29. S. Bern. Sen. tom. 2. f. 4. in D. Quinqu.

Titu-

TITULUS II. BAPTISMUS.

§. I.

Figura.

Ex Veteri, & Novo.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. quod praverderet, Mundum ablucendum ab aquis in Baptismo. Ita sentit Tertull.

Creavit Deus cete grandia. Gen. 1. 21. Quinto die creati sunt pisces; per quos designatur ii, qui Baptismatis sacramenta suscipiunt. S. Petr. Dam. 1. 2. ep. 5.

Iste consolabitur nos. Gen. 5. 29. Quae est requies, vel consolatio, qua consolatur nos iste verus Noe, scilicet Filius Dei, nisi peccatorum remissio, quam in Baptismo suo nobis tribuit: illud enim diluvium Baptismatis figura fuit. Rupert. in Gen. Per diluvium designatus Baptismus. Per columbam, quae detulit ramum olivae virentibus foliis in ore suo, signatur Spiritus Sanctus: quod confirmantur Credentes ab Episcopis per unctionem sacri chrismatis post gratiam Baptismi. Per arcam, quae de lignis impurissimis est fabricata, designatur Ecclesia. Haymo hom. in D. 2. Epiph.

Noe salvavit familiam suam per navem in aquis diluvii. Gen. 7. 1. Et Christus familiam suam per crucem in aquis Baptismi. Hugo Card. hic.

Emissit columbam, quae non est reversa. Gen. 8. 12. S. Cyprianus l. ad Novatian. haeret. Columbam a Noe ter emissam, ait, significare Baptismatis Sacramentum, in quo nominatur SSS. Trinitas. Arca, teste S. Petro 1. a. c. 3. 20. figura Baptismi. Columba accedens ad arcam cum ramo, Spiritus Sanctus assistens in Baptismo, conferens gratiam reconciliationis, pacis, & misericordiae. Ita S. Ambr. 1. 2. in Luc. c. ult. Lud. de Ponte in Cant. Exh. 10. §. 1.

Figura Baptismi aqua ancillae Agar ab Angelo ostensa Gen. 21. 19. Puteus Gen. 24. 13. Aqua igni affusa Elisaei 3. Reg. 18. 38. Jordanis 4. Reg. 5. 10. S. Greg. Nyss. or. in diem Luminum.

Non sine causa tres magni Patriarchae Isaac, Jacob, & Moyses, uxores juxta puteos invenerunt, quia Christus ad aquam Baptismi in venturus erat Ecclesiam. Lud. de Ponte in Cant.

Ingressi sunt filii Israel per medium seci maris. Ex. 14. 22. Quid mare rubrum, nisi Baptismus Christi sanguine consecratum? hostes sequentes cum rege, qui a tergo moriuntur, peccata sunt praeterita, quae delentur, &

diabolus. S. Isidor. Comment. in Ex. Iterum Phasae agitur, iterum transitus celebratur. Potes iterum excelsi brachii antiqua exercere miracula rubri maris. B. Caesar. Arel. Ep. hom. 3. de Pascha. Exodus beate, ac perfecte consummatur in nobis, quando verus Moyses de Jordanis aqua sumptus Dominus nosler JESUS CHRISTUS virga crucis suae nos per aquam Baptismi de captivitate Pharaonis diaboli educit. S. Gaudentius tr. 1. in Ex.

Omnisque populus per arenam alveum transibat. Jos. 3. 17. Transiitum Jordanis Baptismum praefigurasse docet S. August. l. 106. de temp.

Sicut enim Josue Hebraeos per Jordanem traduxit in terram promissionis; sic Jesus suos Fideles per Baptismum traducit in coelum. Corn. a Lap. hic.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Quid Baptismus, & reliqua Sacramenta, nisi quaedam Christi cellaria; in quibus animam sanat, reficit, laetificat; ingentesque delicias, divitias, & signa amoris praebet? Lud. de Ponte hic. Exhort. 15.

Veni de Libano. Cant. 4. 8. Libanus candor interpretatur: nisi enim quis candorem in sacro baptismate, quod peccatoribus remissio datur, perceperit; ad Christum venire non potest. S. Justus Orgelii, Ep. hic.

Et ecce aperti sunt ei caeli. Matth. 3. 16. Cur in Christi Baptismo caeli aperti videntur? S. Augustinus. sect. 29. de tempore.

Quod hoc spiritualiter pertinet ad Baptismum Christi: quia per id ostenditur, quod quando homo egreditur de Baptismo, tunc janua regni caelestis ei aperitur. Sylveira. hic quaest. 16.

Ascendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Id est, Baptismum. Haec navis baptismalis innocentiae facit naufragia; & rumpitur impingendo in rupem peccatorum mortalium, scilicet ventu diabolicarum tentationum, seu periculis occasionum Mundanarum; in tantum, quod tot sint pericula in mari hujus Mundi, quod e decem millibus animarum non transfretet una cum ista navi innocentiae Baptismalis; quin peccet mortaliter. Ideo, ad instar navigantium, si volunt se tenere ad tabulam Poenitentiae fortiter, adhuc possunt evadere. S. Vinc. Ferr. serm. in die Cin.

Vade ad natatoria Silœ. Joan. 9. 11. Ex sententia S. Augustini, & aliorum, Silœ fons Baptismi, ac poenitentiae lavacrum, signavit. Hinc Nazianzeno Baptismus, & Poenitentia, illuminatio dicitur. Escob. t. 1. mir. Chr. sect. 2. observ. 2.

Consepulti sumus in illo per Baptismum in mortem. Rom. 6. 4. Ritus Baptismi scilicet trinamersio, repræsentat tres dies sepulturæ Christi, & tropologicè mortem, ac sepulturam peccati. Corn. à Lap. hic.

§. II.

Baptismi ritus, & ceremonie.

Ab albis Baptizatorum vestibus, septimanam in albis veteres appellarunt eam, quæ Paschalem proximè sequitur. Tertull. l. de cor mil. Ex interprete.

Idem testatur: lac & mel, baptizatis gustandum porrectum esse. Hier. contra Luciferianos ait: in Occidentis Ecclesiis vinum, & lac, recens baptizatis datum.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Olim adulti, qui Baptismum expetebant, cum Quadragesimæ initiò nomina sua Ecclesiæ dedissent, & totis illis 40. diebus atris vestibus, promissò capillò, in squalore jacuissent; paulò ante Pascha lavabantur. Quod S. Aug. ep. 118. ad Januar. Baptismum ante Baptismum vocat; tandè quæ loti, candidisque induti vestibus ad Baptismum accedebant. Hæc candidas vestes gestabant per totam octavam Paschæ; easque Dominicâ sequenti deponabant; unde dicta *Dominica in albis*. Ac tum vestium locò accipiebant agnum ex cera candida, & virginea benedictum; quem ad collum appenderent: ut ex ejus intuitu monerentur, agniam Christi innocentiam, quam in Baptismo acceperant, studiosè servare. Cujus ceremoniæ certum indicium est, quòd etiamnum Romanus Pontifex Agnos cereos à se benedictos familiaribus, & Prælatibus, distribuat ipsâ Dominicâ in Albis, Acolythò alrà voce accinente: *Domine, Domine, isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt Alleluja: modo venerunt ad fontes, & repleti sunt claritate Alleluja.* Ità Josephus Vicecomes l. 5. de ritibus Baptismi. Durand. l. 6. ration. div. offic. c. 79. Corn. à Lap. in Eccl. c. 9.

Clem. Alex. l. 1. pædag. instruens Ægypti Ecclesias, svadet, ut fideles candidis vestibus utantur: cujus quidem institutione Christianos in Ægypto candidis usos fuisse vestibus existimamus, ait Baronius A. C. 256. Hinc cum S. Antonius, Martyrii cupidus, ad tribunal prodiret, alba induit vestimenta; ut ex eis cognosceretur Christianus, teste Athan. in ejus vita. Corn. ib.

Oleum ideo ad Baptismum adhibetur: quia unctionem nostram designat; Christòsque nos efficit; ac Dei misericordiam per S. Spiritum nobis pollicetur. S. Jo. Damasc. l. 4. c. 10.

Baptizatorum olim erant peculiare, & dicebantur, Resurrectionis vestes. Amphilo-chius in vita S. Basilii: accedens Sacerdos baptizavit eum, & oratione fusâ super eum, induit vestibus Resurrectionis Christi.

Notat S. Aug. recens baptizatos suò tempore studiosè cavisse; nè terram pedibus totò per baptismum octiduo contingerent: quò indicarent; se deinceps sursum affectus, & corda, tollere debere: etenim baptizati Reges fiunt; sed regnum eorum non est de hoc Mundo. S. Cyr. Jerof. Catech. 1. docet, baptizandos suò tempore stetitisse in porticu domus Monasterii, acque inde versùs occidentem protensa manu Sathanae quasi coram renuntiâsse: quia inquit solis occasus apparentium tenebrarum locus est; diabolus autem, cum sit tenebræ, robur in illis suum habet. Doultreman de amore Dei l. 3. c. 5. sect. 2.

Cum Sathanae renuntiaveris, & omne cum illo pactum rescideris, veteres, inquam, pactiones cum Inferno; aperitur tibi paradus Dei, quem ipse ad Orientem plantavit. Et hujus rei symbolum est, cum ab occasu converteris ad occasum, quæ lucis est regio. S. Cyrill. Jerof. Catech. mystag. 1.

In pectore, in quo est locus cordis, baptizandus ungitur oleò; ut, per S. Spiritus bonum, abiciat errorem, & ignorantiam: inter scapulas; ut, per S. Spiritus gratiam, excutiat negligentiam, & torporem: in vertice baptizatus chrismate à Sacerdote inungitur; ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem. Dur. ration. offic. div. c. 8.

§. III.

Baptismus consecrat, & sanctificat DEO.

Hic scribet manu suâ Domino. Il. 44. 5. Id est, *Domini ego sum.* Ità Sept. Arabicus vertit: *hic scribet se è proprietate Domini.* Sicut enim sagæ, alique, cum se demoni devovent, dant ei syngrapham, quæ se ejus servos profitentur; ita & Fideles se olim scribebant esse Christianos, servos Jesu Christi, uti scribit S. Paulus *servus Jesu Christi.* Hinc baptizati dicuntur nomen dare Christo, nomenque suum vel ipsi, vel pastor eorum, catalogo fidelium inscribit; quasi qui transcant in militiam Christi. Corn. à Lap. hic.

Per Christum sollicita est mea vetus maledictio: jam ego non timeo: terra es & in terram reverteris: in Baptismate enim deposui terram, & cælum indui; & nunc audio: cælum es, & in cælum ascendens. S. Chrysol. in Psalm 96.

In Baptismo charta conscientia est, calamus lingua Sacerdotis, manus gratia est S. Spiritus. Sive ergo per me, sive per illum, qui officio fungitur Sacerdotis, ipsa manus scri-

scribit; nos ministri funus, non auctores. S. Chrysof. hom. de regressu suo de Asia Constantinopolim.

Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad militiam cum deliciis venit; nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis &c. Tertullianus ad Martyres.

Per Baptismatis Sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitorem pravis de te actibus effugare, & diaboli iterum te subicere servituti: quia pretium tuum sanguis est Christi. S. Leo. l. 1. in Nat. Dom.

Corpus hominis in Baptismate ut templum Spiritui Sancto oleo, & chrismate dedicatur. S. Anselm. in Elucidario.

§. IV.

Baptismus est natiuitas, regenerationis.

Tullius Moyses Israel de mari rubro. Ex. 17. 22. Puta dixisse, quia talit nutritius sedulus parvulos alumnos de nova regenerationis Sacramento. S. Rupert. Abb. l. 3. in Ex. c. 3. Quâ die, vel horâ, credit homo in Christum, & Baptismi ejus percipit Sacramentum, emittit Deus Spiritum suum, & creatur; ut omni vetustate peccati abolitâ, jam novâ fecundiam animam creatura sit. S. Rupert. de oper. Spir. S.

Nisi quis renatus fuerit. Joan. 3. 5. Non in ventrem matris suæ, sed in fontem gratiæ Dei, potest homo introire, & denuo nasci. Aliâs in ventrem matris suæ rursus ingreditur, quando in sinum hujus gratiæ verâ fide reducitur: mater enim nostra gratia est. S. Rupert. in Joan. Gloriamur in utroque festo (scilicet Nativ. & Baptismi) quia Filium genuit Mater, & casta est: & quia Christus undâ lavit, & sancta est. Nisi quod pene majori munere, quam Maria undâ ditata est: illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis contulit satisfactionem: illa meruit, ne peccaret; illa, ut peccata purgaret. S. August. l. 96. de temp.

Nos pisciculi secundum nostrum Jesum Christum in aqua nascimur; nec aliter, quam in aqua permanendo, salvi sumus. Tertull. l. de Baptismo.

Dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti; quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem; eadem fecit, ut regeneret unda Credentem. S. Leo l. 5. in Nat.

Tantum contulit fidei nostræ impugnatio persequentium; ut nihil magis regium ornet principatum, quam quod domini Mundi membra sunt Christi: nec tam gloriantur, quod in imperio genitû; quam gaudent, quod in Baptismate sunt renati. S. Leo l. 6. in Epiph.

Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: captivitatibus liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile; currus ad cœlum, deliciæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismatique adoptionis filiorum. S. Cyrill. Jerol. Catech. 1.

Quare hæc vox, *hic est filius meus dilectus*? Matth. 3. 17. quia certum est, quia Christus non incepit tunc esse Filius Dei, qui æternaliter fuit? Resp. illa vox non venit propter Christum, sed propter nos: ad ostendendum, quod in Baptismo efficiamur filii Dei. Vinc. Ferr. serm. in Oct. Epiph.

§. V.

Baptismi varia dona, & bona.

Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Rom. 13. 12. Noctem veterem hominem significavit, qui per Baptismum innovatus est. Hunc præcessisse dicit, quasi noctem; diem autem appropinquâsse, eujus lumine veritas nobis apparuit; ut sciremus, quid agere debeamus. S. Ambr. hic.

Baptismus olim luminis, & illuminationis, vocabulo significabatur, ut patet ex Clem. Alexand. 1. Pædag., & Baptisterium illuminationis. Ita Metaphrastes in actis S. Marciani.

Ante Christi adventum terra eram, comedebam à serpente: ubi autem venit Dominus, in salem me mutavit. Disce dilecte, quomodo sal fit: sal ex aqua fit, & vento. Sal merito appellavit nos Dominus, quoniam ex aqua, & Spiritu, regeneravit. S. Chrysof. in Pl. 96.

Vide, suis pauperibus quam clementer Spiritus Sapientiæ prospicit! nam ecce aqua, janua regni Dei facta est. Quam autem accessibilis est talis aditus regni Dei! quis tam pauper est censu, ut urnam hujus elementi comparare nequeat suis sumptibus? nam sive de lacu, sive de flumine, sive de mari magno, sive de parvo fonte, sumpta lympha pro hac intentione (Baptismi) pro hac fide, & sacratâ sancti nominis invocatione; illa est aqua, quæ de illo fluxit sacro Christi latere. S. Rupert. de oper. S. Spir. l. 3. c. 13.

Quilibet Christianus est arbor, & plantatur in die Baptismi, & rigatur aquâ Baptismi. Non contentatur Christus, quod mittamus radices magnas in terram, scilicet amicos, parentes, (qui sunt radices,) nec etiam de ramo forti contentatur, qui est persona juvenis, pulchra, fortis; nec de ramis possessionum; nec de bonis foliis; scilicet ratiocinando, advocando, disputando; nec contentatur de umbra praelationum, dignitatum: sed vult fructus dulces bonorum operum. S. Vinc. Ferr. serm. d. S. Laur.

Jam est beatitudinis odor in vobis, o illuminati! jam spirituales collegistis flores ad plectendas cœlestes coronas; jam Spiritus S. Spiritus

RAVIT

ravit fragrantia; jam circa porticum regalis palatii fuistis, utinam verò & ab ipso rege introducamini! Flores nunc arborum apparuerunt, utinam verò & fructus perficiatur! S. Cyrill. Jerof. Præfat. Catech. illuminatorum.

Judeis quidem sanguis, Christianis verò aqua. Illis quidem, tanquam insidiatoribus, ex sanguine condemnatio; tibi verò nunc credenti per aquam salus. S. Cyrill. Jer. catech. 13.

Est Baptismus fons lacteus, ut dixit Zeno Veronenfis. Est Baptismus balneum lacteum, ut docent S. Greg. in c. 5. Cant. & S. Ambros. f. 16. in Psalm. 118. Doultreman l. 4. c. 3. sect. 10.

Abbas Pachomius eâ nocte, quæ illi à suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem in dexteram manum decidentem excipere, & vocem hanc audire visus est: aperi mentis tuæ oculos Pachomi, & agnosce in rore isto acceptæ gratiæ à Deo argumentum. Doultreman de amore Dei l. 4. c. 2.

Quò die S. Julianus Ep. mundandus erat aquis piacularibus, audire angelorum in aëre psallentium voces, puer natus est hodie, cui gratiâ similis non est. Bolland. 28. Jan.

§. VI.

*Perseverantia in gratia Baptismali,
& pacto.*

Inimici Domini mentis sunt ei. Psalm. 80. 16. Inimici Domini sunt impij, qui toties

Domino mentiuntur, quoties promissiones in Baptismo factas, & vota sua, & juramenta, transgrediuntur. S. Bonaventura ferm. 1. D. 1. Quadrag.

Sanctificetur nomen tuum. Math. 6. 9. A quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, id petimus, & rogamus; ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveremus. S. Cypr. l. de or. Dom.

Abluti femel estis Baptismo salutari: nolite de fonte in cœnum regredi; servate donatam mundiciem. S. Gaudent. tr. 9. de lect. Evang.

Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus sæculi luctaturus; professus es luctaminis tui certamine. Qui luctatur, habet, quod speret: ubi certamen, ibi corona. Memor esto fermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ feris cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius: chirographum tuum tenet non in terra, sed in cœlo. S. Ambr. 1. 1. c. 2. de Sacram.

Quis illa pacta custodit, ad quæ se in Baptismo voluntariè obligavit? renuntiasti diabolo; & ecce solum diabolus sequeris: renuntiasti omnibus pompis ejus; & ecce solum Mundi pompis intendis. S. Bonav. l. 16. de S. Steph.

TITULUS III.

BEATITUDO.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Psalm. 143. 15. Sic judicant, qui veritatis discipuli non fuerunt. Mundi divitias præferunt, & cœlestia regna contemnunt; beatitudinem putantes, aut oves fetosæ aspiciere, aut boves crassissimos possidere. Audite malè persuasi, audite dementes in sinistra poni, quæ putatis esse magnifica. Sic enim Prov. 3. 16. legitur: *in sinistra illius divitiæ, & gloria.* Audiemus nunc, quid dicatur de turba Fidelium: *beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus.* Post illam irrisionem, quæ de sceleratis facta est, venit ad penetralia Sapientiæ, hoc est, ad vocem ipsam sanctissimæ Veritatis. Definit enim veraciter, quis sit beatus populus: scilicet *cujus est Dominus Deus ejus.* Cassiod. hic.

Beati pauperes spiritu. Math. 5. 3. Indè incipit beatitudo judicij divinò, unde ærumna æstimatur humana. S. Ambr. Eth. Chr. l. 1. c. 16.

Beati pauperes &c. Hæc primum cecinit canticum Beatitudinis cithara gloriosa, cithara sonora, & dulcis, cui tota erat, & est, insita Musica Patris, universa sapientia Dei; qui & dicebat ad eum jam dudum in Propheta Pl.

56. 9. *exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Octo chordis antiquius citharæ fiebant; & quæ per primam, eadem vox resonabat per octavam, secundum Musicæ naturalem vim: quia tantum septem sunt discrimina vocum, & octava vox eadem est, quæ prima. Et quod non minimè delectat; in ista Beatitudinum cantilena, quæ prima erat, octava sententia est, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Rupert. l. 4. in Matth.

Beati pauperes &c. In actionibus primum principium est finis: quia finis est agendi ratio; & ex fine actionis ratio sumitur. Et propterea Jesus legem Evangelicam inchoat à Beatitudine; quam constat, actionum omnium, & laborum nostrorum, finem esse; quandoquidem, ut beati sumus, agimus, & patimur omnes, quidquid voluntariè agimus, & patimur. Cajet. hic.

De octo Beatitudinibus Joan. à S. Geminiano l. 1. c. 2. de exempl. & rer. simil. ita scripsit: Ventorum effectus, symbolum 8. Beatitudinum Math. 5. 3. I. Ventus naves promovet; sic paupertas Spiritus, quæ vitat tria impedimenta: fluctus scilicet, & elationes humanorum honorum; scopulos; id est, crucis

crucis sæculi; & fyrtes absorbentes luxuria. II. Ventus refrigerat æstum, & ardores; sic mitas passionem. III. Ventus est imbrium, & aquarum causativus; sic luctus lacrymarum. IV. Ventus ignem sufflat; sic esuries iustitiæ. V. Ventus semiviva producit, nutrit, & augmentat; sic misericordia semen elemosynarum, 2. Cor. 9. 6. *qui parit seminat.* VI. Ventus, maximè Borealis, aerem serenat; sic munditia cordis serenat, & tranquillat, conscientiam. VII. Ventus corpora conservat, maximè Borealis, quia aerem pestilentem sanat; sic per pacificam pestilentia bella remouentur. Beatam vitam queritis in regione mortis. Non est illic: quomodo enim beata vita, ubi nec vita? S. Aug. Confess. c. 12.

Vis nunquam esse tristis? bene vive. Bona vita semper gaudium habet, conscientia rea semper in poena est. S. Bernard. tr. de inter. domo c. 45.

Omnis bonus est beatus, & omnis malus est miser: etsi omnia bona, quæ fortunæ dicuntur, congregata habeat. S. Greg. Nyss. l. 8. c. 5. de Providentia.

Beatus dictus, quasi benè auctus, scilicet ab habendo quod velit; & nihil patiendo, quod nolet. Ille autem verè beatus est, qui & ha-

bet omnia, quæ vult, bona; & nihil vult mali. S. Isid. lib. 10.

Vita beata est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. S. Euch. Ep. Lugdun. ep. paranet. ad Valerian. cogn. suum.

Nemo aliorum sensu miser est, sed suò; & idè non possunt cuiusquam falsò iudiciò esse miseri, qui sunt verè suà conscientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiore sunt, quàm qui ex sententia sua, atque votò, agunt. Humiles sunt Religiosi; hoc volunt: pauperes sunt; paupertate delectantur: sinè ambitione; ambitum respuunt: inhonori sunt; honorem contemnunt: lugent; lugere gestiunt: infirmi sunt; infirmitate lætantur. Salvian. l. 1. de vero iudicio, & Provid. Dei.

Si vis beatus esse, cogita hoc primùm: æternorum intuitu contemnere, & contemni. S. Martinus Ep. Bracaren. de morib.

Illud imprimis sollicitòs reddit homines, in quo inprimis felicitas summa posita sit? de quo Philosophi sunt digladiati tam anxie; ut seclis hac de re colligat Varro 280. esse posse. Isid. Clarius l. 2. or. 2.

TITULUS IV. BELLUM.

§. I.

Causa, & origo, peccata.

Vides, quia peccata vires hostibus præbent. Et quando nos facimus malignum in conspectu Domini, & delinquimus, tunc confortantur à Domino inimici nostri, tunc vires contrariis virtutibus dantur. Orig. in Jos. hom. 3. in c. 2.

Non est, fratres, cur Turcarum feritatem timeamus nos, quando Deus præsidio est, qui illis est contrarius. Alium Turcam ego magis timeo, qui intrà nos latet, peccatum scilicet, ingratiitudinem, aversionem. *Si populus meus audivisset me, & pro nihilo forsitan &c.* Ps. 80. 14. 15. Propheta ille iniquus Balaam Num. 23. 21. dixit Balach regi svadenti, ut malediceret populum; cui dedit consilium pestifimum, sed utile ad victoriam, ut peccare faceret Israel; quia aliàs non posset populum Domini superare. Quod & fecit, S. Thom. Vill. ferm. in Rogationib.

§. II.

Origo belli Divitiæ &c.

Unde & facta est rixa. Gen. 13. 7. Auclta sunt armenta, multiplicati greges, affluerunt divitiæ multæ; & statim discinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vincu-

Polyanth. Sacr. Tom. I.

lum, nunc rixa, & contentio: ubi enim meum, & tuum; illic omne litium genus. Hinc de primis Christianis Act. 4. 32. *multitudinis Credentium erat cor unum, & anima una.* Cur? *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.* &c. Act. 4. 32. Corn. à Lap. hic.

Nihil aequè pugnæ, & belli, causa est, ut amor præsentium; ut vel gloriæ, vel pecuniæ, vel deliciarum cupiditas. Quando hos omnes funes præcideris & animam nullò horum retineri videris; tunc videbis, undenam bellum ducat principium, & undenam sit virtutis jaciendum fundamentum. S. Chrysof. in Ps. 119.

§. III.

Bellum contra hostes invisibiles.

Magnum prælium nobis est, hostem non videre, & vincere. *Non est nobis colluctatio &c.* Ephes. 6. 12. S. Augustinus in Psalm. 142.

Clamat de cælo Deus: specto vos; luctamini, adjuvabo vos; vincite, coronabo. S. Aug. in Ps. 39.

Nulla nobis utilitas, si cum omnibus pax, cum Deo autem bellum nobis sit. S. Chrysof. in 1. Cor. 1. hom. 1.

X

Tem.

Tempus belli, tempus certaminis est; tu autem sedes in deliciis? non vides etiam reges, qui sceptrā ferunt, in externis militiis frugaliter vivere? Christus prae fame labefcit; tu autem prae gula teipsum dirumpis. Nunquid sacrificandi sumus, quod impingvamus nos ipsos? Quid suppeditas vermibus tam splendendam mensam? S. Chrysostomus hom. 27. in Acta.

Imminet nobis triplex bellum: domesticum, civile, & campestrem. Primum cum carne; Civile, est tentatio Mundi; Campestrem, hostile cum dæmonibus. S. Bonav. f. 17.

Arma nostra militie spiritualia sunt, potentia Deo. 2. Cor. 10. 4. Orationes scilicet, jejunia, poenitentia, lacrymae. His armis prioribus temporibus Ecclesia omnes diaboli conflictus devicit. Quoties ad hæc recurritur, certa est victoria; quoties negligitur, indubitata est miseria. S. Thom. Vill. f. 2. D. 2. Quadr.

Nullam cum inimicis nostris dæmonibus pacem ineamus: nam cum dæmone, vel carne, pacem habere, aliud nihil est, quam dæmoni, vel carnis sensui obscurare. Tit. Bostr. Ep. ad c. 14. huc.

TITULUS V. BENEDICTIO.

I Dei est benefacere.

In te benedicentur. Gen. 12. 3. Nota hic: sicut dicere Dei, idem est, quod facere: *ipsi dixit & facta sunt.* Ita benedicere Dei idem est, quod benefacere, & bona largiri. Corn. à Lap. hic.

Benedictus tu in civitate. Deut. 28. 3. q. d. Abundabis omnibus rebus necessariis, tam in re urbana, quam rustica: benedicere enim hic est benefacere: benedictio autem Dei realis est, non verbalis, non aulica. Idem hic.

Benedixisti Domine terram tuam. Pf. 84. 2. Benedicere, est aliquid boni velle. B. Theodoret. hic.

Offerebant ei parvulos, ut tangeret eos. Marci 16. 13. Interlin: ut eis voce, & manu, benediceret. Unde ad benedicendum etiam in cruce manus extendit. *Aperis tu manus tuas, & imple omne animal benedictione.* Pf. 144. 16. Quid mirum, si ad benedicendum, vel ad confirmandum in gratia, Christus imponit manus suas; cum sit Episcopus. 1. Petri 2. 25. *Conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum &c.* S. Bonav. D. 18. Pent. f. 1.

Benedixit illis Simeon. Luc. 2. 34. Benedictio in S. Scriptura, si fit hominis ad hominem, est bona precari; si verò hominis ad Deum, est laudare; Dei verò ad hominem, est benefacere. Didac. Stella hic.

Benedictiones variæ.

Dicit quis: cur Abraham moriturus Gen. 25. 5. non Isaacum item eò modò, quò


& Isaac Jacob, & Jacob filios suos, benedixit? Videlicet: quia Isaac jam, ex quo in holocaustum Deo oblatum est, benedictionem hæreditate possedit; neque opus fuit illum sermone consecrari, qui reipsa, in typum Salvatoris, sanctum sacrificium, & hostia viva esse meruit. Rupertus lib. 9. cap. 21. in Gen.

Dei tibi Deus de rore caeli, & de pingvedine terræ. Gen. 27. 28. Toties de rore caeli accipimus quoties per infusionem contemplationis intimæ, de supernis aliquid tenuerit videmus. Cum verò bona opera etiam per corpus agimus, de pingvedine terræ ditamur. Lud. de Ponte in Cant. 1.

Fac mihi inde pulmentum, & benedicat tibi anima mea. Gen. 27. 4. Hebr. *ramim, id est, gustamenta;* putà delicata fercula: erat enim hæc dies benedictionis filii fausta, læta, & solennis; & proinde latò epulò celebranda. Corn. à Lap. hic.

Benedicat nos Deus Deus noster &c. Pf. 66. 7. Benedicat nos Deus Pater; benedicat nos Deus Filius (hic enim propriè noster est, *filius datus est nobis* Jf. 9. 6.) benedicat nos Deus Spiritus Sanctus! Cur autem Ecclesia ter Deum repetat, non tamen dicit, nisi bis, benedicat? ut innuat: quòd à trino DEO duplicem benedictionem exoptet; videlicet benedictionem gratiæ, & gloriæ. S. Bonav. D. SSS. Trinit. f. 4.

Benedictio, quæ nobis datur, ros, & pluvia coelestis, esse cognoscitur. S. Casar. hom. 34.



Titu-

TITULUS VI. BENEFICIA.

§. I.

In genere.

DA promptè. Exornat, beneficium, promptò animò, ac hilari vultu, dedisse; deonestat, asperis verbis, & favà facie donasse. Qui placidè exiguum dedit, fuit beneficus; qui multùm torvè, ac adductis superciliis, injurius. Sen. l. 2. de benef. c. 3. Ingentia quorundam beneficia silentium, aut loquendi tarditas; imitata tarditatem, & tristitiam, corrumpit, cum promitterent vultu negantium; quantò melius adicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanà, benignaque commendare, quæ præstas; ut illum castiges, quòd tardior in rogando fuit &c. Jos. 14. 13. dum peteret Caleb - da mihi ergo montem istum &c. Josue benedixit ei, & tradidit ei Hebron in possessionem. Naxera in Jos. 14. §. 41.

Viditque in somnis scalam &c. Gen. 28. 12. &c. Petenti Jacob avunculi domum, ut iram fratris vitaret, & in itinere dormienti Deus scalam innixus objicitur, amplè ei sunt promissiones. Jacob gratus surgens manè iulit lapidem &c. & erexit in titulum. Post multa tempora patriam repetens difficilis certaminis invenit stadium. *Vir luctabatur cum eo usque manè.* Gen. 32. 24. Luctatus vicit, benedixit ei in eodem loco. v. 29. Hic Jacob nec gratitudinis erigit columnam, nec locum illum appellat celestem aulam. Discrimen: ibi vel dormienti ingeruntur beneficia, & officia, hic post certamina impetrat: *flevit, & rogavit eum.* Gratius fuit sponte manans, quam luctu extortum beneficium. Id. ib.

Egressæ sunt aquæ largissima. Num. 20. 10. 11. Deus autem liberalitatem suam queritur obsecratam, & fratribus infert malitiam: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me.* v. 12. Quæ hujus querelæ, & poenæ, causa? quia asperis verbis beneficium impetiverunt: *audite*, exprobrabit illis Moyses, *rebelles, & increduli* v. 10. &c. Nonnulli facilius tolerassent sitis molestias, quam verborum injurias. Abul. q. 8. populus, videns miraculum tantum, laudasset Dominum; sed quia Moyses, & Aaron, inceperunt objurgare totam multitudinem vocando incredulos, & rebelles; ideo multitudo turbata animò ex dura reprehensione, etiam videns miraculum, non laudavit Dominum. Adde, Deum hic iratum, quia petra, geminò ictu percussa: nec enim haberi poterat beneficium, quod violenter ad speciem appareret extortum. Id. ib.

Commoda mihi tres panes. Luc. 11. 5. Dedit amicus. *Dabit illi, quorquos habet necessarios.* Hujus donationis non video relativam gratiam. Joan. 6. 14. Cum homines pa-

Polyanth. Sacr. Tom. I.

nibus pasti Prophetam acclamarunt benefactorem: *illi ergo homines cum vidissent &c.* Discrimen: dedit amicus amico, sed post aspera verba: *noti mihi molestus esse;* Luc. 11. 7. post longas preces: *propter improbitatem;* post tractas moras: *jam ostium clausum est.* At in deserto panis non petentibus datus. Id. ibid.

§. II.

Beneficiorum Divinorum copia.

Ex Veteri, Novo, & Patri-

bus.

Visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.

Ex. 20. 5. Cajet. cerne differentiam, quòd vindicta non extenditur ultra quatuor filios, beneficia autem extenduntur in millia. Ad significandum, quòd ad bona est Deus propensissimus; ad inferendum autem mala est parcus. Et ratio est: quia bona sua confert spontè, mala autem infert exigentibus demeritis nostris, Sylv. in Act. ap. 2. q. 6.

Percutit, & manus ejus sanabunt. Job. 5. 18. Deus unà manu percutit, sed duabus sanat. *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerunt Job, duplicia.* Job. 42. 10. Lud. de Ponte in Cant. 1. Exh. 12.

Introduxit me Rex in cellaria. Cant. 1. 3. Ad significandam eximiam abundantiam horum cellariorum. Lud. de Ponte hic.

Fasciculus myrrha. Cant. 1. 12. post agens de ejus liberalitate: *emissiones tuæ paradysus.* Cant. 4. 13. Myrrha tribulatio. Per emissiones Theodoretus intelligit omnes virtutes; & Cat. PP. omnia dona S. Spiritus, quibus anima recreatur, & impinguatur. Sylv. in Act. Ap. cap. 2. q. 6.

Decora sicut Jerusalem. Cant. 6. 3. laudatur à Jerem. Thr. 2. 15. *urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ;* maxime autem tempore Salomonis erat laudatissima, ab amplitudine, fortitudine murorum, à divitiis: *tanta enim erat abundantia argenti-quanta lapidum.* 3. Reg. 10. 27. Vocat ergo Christus Ecclesiam decoram sicut Jerusalem: quia omnium virtutum, & gratiarum ornamenta in illam congestit. Lud. de Ponte hic. l. 9. Exh. 1. §. 2.

Ad punctum, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. H. 54. 7. Sex diebus creavit Deus omnia, 40. diebus omnia aquis diluvii destruxit: ut ostenderet promptitudinem suam in præstandis nobis beneficiis, & tarditatem in puniendo; qui dicit per H. 61. 2. *ut predicarem annum placabilem Domino, & ærem ultionis Deo nostro.*

X 2

Placa-

Placabilem vocat annum, & vindictam diem: quia multus est in ignoscendo, & parcus in puniendo. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumpet, à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Jf. 54. 8. Did. Stella de contempt. van. Mundi p. 3. c. 88.

Nonne bonum semen seminasti in agro? Matth. 13. 27. O gens Adam! quam multi seminaverunt in te, & quam pretiosum semen! Quam malè peribis, & quam meritò; si perierit in te tantum semen, simul & seminantium labor—Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminaverunt Angeli pariter & Apostoli, seminaverunt Martyres, & Confessores, & Virgines; seminavit & Filius: ipse enim est, qui *exiit seminare semen suum*—seminavit & Spiritus Sanctus: quia & ipse venit, & apparuerunt Discipulis dispartitæ linguæ, tanquam ignis. Ità tota Trinitas seminavit: Pater scilicet panem, de cælo Filius Veritatem, Spiritus Sanctus charitatem. S. Bern. sect. de S. Benedicto. Filius Dei non cessat semper seminare in animabus nostris. Non enim solum, quando videtur docere, sed & per Mundum istum; & per ea, quæ quotidie facit erga nos, seminat in animabus nostris bona semina. Theophylactus in Luc. 8.

Impleverunt eas usque ad summum. Joan. 2. 7. Vellet omnium Salvator Christus, ut omnis anima caperet, quantum posset, & in tantum repleretur virtutum moribus, & beatificâ gratiâ, quòd amplius impleri non posset. Longè latior esse posset nostræ mentis capacitas, quam credimus: sed ipsam in augustum sinum colligimus, cum ipsam intendimus replere caducis. Sim. de Cass. l. 7. de mir. Salv.

Sonus replevit totam domum. Act. 2. 2. Cur sonus totam domum? non ignis? Respond. per ventum intelligitur divina benevolentia, & gratia. Cant. 4. 16. *Veni Auster!* Ignis autem, juxta Cyrill. labores, & afflictiones, quæ in mensura linguæ dantur. At gratia superabundans omnia implet. Sylv. in Act. 1. q. 6.

Sic onerat me miserationibus suis Deus, sic concludit, sic obruit beneficiis suis; ut onus aliud sentire non possim. Deficit spiritus meus, prorsus deficit in tanta beneficiorum consideratione. S. Bern. D. 6. Pent. f. 2.

Si Authoris tui dona dinumerare volueris, arenam maris, guttas pluviarum, & multitudinem reperies superare stellarum. S. Laur. Just. f. in festo Corp. Chr.

§. III.

*Beneficium unum radix alterius, & plurium.**Ex Veteri.*

Dominus Deus cæli, & terra, qui tulit me, &c. Gen. 24. 7. Pii ex his, quæ acceperunt à Deo, beneficiis, erudiuntur; ut alia sperent. Sic Abraham, cum Eliezer mitteret, ut sponsam filio quæreret, & ille de rei

exitu dubitaret; fretus Abraham Dei beneficiis, nutantem seruum his verbis confirmat: *Dominus Deus cæli, & terra &c.* Jo. Oforius D. 4. Quadr.

Dee tibi Deus de rore cæli &c. Gen. 27. 28. Cur non dicit de pluvia? aptior enim est pluvia, ad fecundandam terram. Ergo uberior benedictione cumularet de pluvia. Nostrebat divinam largitatem: quia, si semel Deum rorem præstitit, sine dubiò pluviam uberem dabit: nam ubi divinus favor facit initium, licet à minutissimo rore incipiat, magna procul dubiò est largiturus. Did. de Callilo Jlat. 47.

Adat mihi Dominus filium alterum. Gen. 30. 24. Josephum à Deo suscepit Rachel; petit & secundum. Nec mirum: unum enim Dei beneficium gradus est ad alterum. Vides Christum corpus suum hominibus in cibum dare; spera, etiam sanguinem in potum dabit. Alvarez Joseph. illustr. illustr. 4.

In baculo meo &c. Gen. 32. 10. 11. ità Jacob de Mesopotamia in patriam redux Deum alloquitur. Et addit: *erue me de manu fratris mei.* q. d. Adeò ad beneficium effusus es, ut ex nulla re magis, quam ex beneficio jam præstito, ad alia præstanda movearis. Quare, qui me rerum omnium egenum rebus omnibus ditasti, perge mihi ulterius benefacere, & priora beneficia novis cumulare. Mendoza in 1. Reg. 2.

Pluit Deus manna, ut semen coriandri. Ex. 16. 13. Ut in forma seminis ostenderet, omnia ejus beneficia semina esse, fructumque expectare. Jo. Ofor. D. 5. Epiph.

Virgam, quæ percussisti fluvium, tolle in manu tua, & vade. Ex. 17. 5. Voluit Deus ex priore sua beneficentia Moysem ad fidem novi miraculi excitare. Did. Nyss. pag. 1. cap. 5.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Ex. 33. 13. Hæc subdit, postquam audivit, se apud Dominum gratiam invenisse. Mendoza 1. Reg. 2.

Sol contra Gabaon ne movearis. Jos. 10. 12. Unde ei fiducia tantum petendi miraculum? Lyr. videns primum signum datum de cælo aëreo, ex hoc petivit signum de cælo siderico. v. 11. *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo.* Did. Niss. part. 1. cap. 5.

Propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te in oratione hac. 2. Reg. 7. 27. Sic subjecit David post multa beneficia à Deo accepta. q. d. Magnam in spem impetrandi petita excitatur, quia multa à te beneficia jam impetravit, qui ex datis ad majora danda excitaris. Mendoz. in 1. Reg. 3. v. 21.

Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multò plura. 2. Reg. 12. 8. Qui aliquid à Deo recipit, inde multò majora expectet. Bæza 11. 2. l. 10. c. 2. §. 6.

Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti. Judith. 9. 4. Clamabat Judith ad Dominum, Cum Deus priora munera exhi-

exhiberet, cogitavit, quanam munera post prima posset elargiri. Addit Judith: *respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Aegyptiorum videre dignatus es.* v. 6. Ea est Dei munificentia; ut velut debitum contrahat ex beneficio exhibito, ad aliud largiendum. Escob. t. 3. Colloq. Chr. Obs. 3. v. 3.

Manus tua fecerunt me & plasmaverunt me; & sic repente precipias me? Job. 10. 8. *Deus meus, adjutor meus; & sperabo in eum.* Ps. 17. 3. Confidenter jam postulat, qui de Domini gratia, post beneficiorum exempla, praefumit: nam de futuro fiducialiter sperare se dicit, qui cum in praeteritis senserat adiutorem. Cassiodor. hic.

Clamabo ad Deum altissimum, ad Deum, qui benefecit mihi. Psal. 56. 3. Lyr. benefecit mihi de praeterito, & sic spero, quod faciet & de futuro. Did. Nis. p. 1. c. 5.

Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquae. Ps. 77. 20. Nimis facta cogitatio! exemplum magni miraculi dare, & ejus auctorem in reliquis arbitrari posse deficere. Cassiod. hic.

Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus - ut ponant in Deo spem suam. Ps. 77. 4. 7.

Quid retribuam Domino &c. Psal. 115. 12. Omnia retribuit, dum omnia donat: Si David meditatur, quid solvere possit pro omnibus acceptis, cur non dicit: quid retribuam pro omnibus, quae tribuit? Appositè ait, *pro omnibus, quae retribuit*: quia dum Deus Davidem donat omnibus, quasi debitor sit, omnia illi rursus retribuere; Escob. t. 3. Colloq. Chr. Obs. 3.

Retribuere servo tuo. Ps. 118. 17. Ille tribuit, qui prior largitur; cui ergo Deus retribuere potest? quis enim prior dedit ei, ut retribuatur ipse? Basil. in Ps. 7. Non ideo dictum putat retribuere, quasi nos prius Deo tribuerimus; sed quia Deus prius dando, priori sua largitione ad dandum deinceps, quasi se reddiderit obnoxium. Jo. Pinna in Eccl. 7. Ethol. 65.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. S. Ambr. de Isaac, & anima c. 3. illa osculum poscit, Deus Verbum se ei totum infundit. Agnoscebat amatrix Dei, si aliquid à Deo habeat, statim Deum ipsum cum tota plenitudine donorum accipiet. Sylv. in act. 1. q. 5.

Sub umbra aliius, quem desideraveram, sedi. Cant. 2. 3. Nescio, an non remissiori amori sponsae id tribuendum sit: quia ardentius esset desiderium, si sponsi amplexus cuperet, quam umbra ejus. Cur umbram ejus oblectari cupit, si supra Dilecti cor recumbere potest in deliciis? Perluadebat sibi, totum sponsum deliciis plenum se obtenturum, si consequeretur ejus umbram; nec sponsum posse negare seipsum, qui semel ei umbram indulerit. Orig. hom. 2. in Cant. fac ut possis capere umbram ejus; & cum umbram fueris dignus effectus, veniat ad te, ut ita dicam, Corpus ejus, ex quo umbra nascitur. Did. de Castillo 11. lat. 47.

Ubi est zelus tuus, & fortitudo tua? multitudo viscerum tuorum, & miseratio- num tuarum, super me continuerunt se. Isai. 63. 15. Exclamat mirabundus Isaias multis

beneficiis divinitus acceptis. q. d. rem novam agis, & insolentem. Mendoza in 1. Reg. 2.

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me. Jon. 2. 3. Jonas adhuc tenebatur in periculo, adhuc inclusus in ventre piscis; orabat autem, ut salvus inde exiret. Unde agnovit, orationem exauditam? quia experius aliquid de benignitate divina, quod per longum tempus cum incolumem servaverit, pro certo credidit, suam orationem exauditam de felici exitu. Sylv. in act. 2. q. 32.

EX NOVO.

Vidit Spiritum DEI descendentem sicut columbam. Math. 3. 16. Tertull. lib. de Baptismo c. 8. tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta, corpora libens à Patre descendit: super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit. q. d. descendit olim Spiritus Sanctus super aquas Gen. 1. 2. en ergo causam, ob quam iterum in Jordane ad illas descenderit. Quia Spiritus Sanctus semel aquas honoravit; ideo super easdem in Jordane descendit; ut honorem repeteret. Did. de Castillo 11. lat. 47.

Panem nostrum superstantialem da nobis hodie. Math. 6. 11. S. Chrysost. panem superstantialem, Eucharisticum scilicet. Cur non rogant, precor, ut tribuas? quia panis noster est, dum quotidie recipimus: semel enim datus nobis panis ille quasi debitorem reddit Deum, saepius tribuendi. Ideo quasi imperamus: *panem nostrum da nobis.* Escob. t. 3. Coll. Chr. Obs. 3.

Non recordamini - quinque panum in quinq; millia hominum, &c. Math. 16. 9.

Deinde iterum imposuit manus. Marci 8. 25. Deus donando non fatigatur; nec, quia multa dedit donaminuit, imò semper auget. Bis Christus caeco manus imponit, bis dona tribuit lucis, sed posterius donum, quò clarè omnia videt, longè superat primum. Baeza t. 2. l. 10. cap. 2. §. 6.

Et venit in omnem regionem Jordanis. Luc. 3. 3. Quare Joannes baptizat potius in Jordane, quam in alio loco? Glossa ordin. Joannes baptizat in Jordane, ut ibi aperiretur janua regni caelestis, ubi datus est aditus filiis Israel terram promissionis intrandi. Velut ab ipso loco, in quo unum largitus est beneficium; induceretur Deus ad aliud excellentius communicandum. Sylv. hic q. 19.

Prætinget se, & faciet illos discumbere. Luc. 12. 37. ideo prius Christus in nostro exilio loturus pedes discipulorum, & divinum paraturus convivium, *prætingit se.* Jo. 13. 4. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 23.

Imponit innumeros gaudens. Luc. 15. 5. An non fat erat, quòd bonus pastor ad ovem perditam iret, & illius reductionem curaret? sed dives in misericordia, non his contentus subsistit; majora dedit, humeros submittit ovi portandæ. Id. t. 2. l. 10. c. 2. §. 6.

Cupiebas implere ventrem suum de siliquis. Luc. 15. 16. Prodigus non dixit omnia reversus ad Patrem, quæ decreverat dicere: nam ultima verba, *fac me sicut unum de mercenariis* v. 19. tacet. Aug. cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat; quod post osculum Patris generosissime jam dedignatur. Es-cob. t. 6. parab. Chr. Obf. 4.

Us intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. S. Ambr. l. 6. in Luc. per Abraham Christum D. intelligit: si semel donet guttam, torrentem præstabit. Did. de Castillo Illustr. 47.

Hoc initium signorum. Jo. 2. 11. Initium in aqua in vinum Christi virtute conversâ; ut hoc primum, & tanquam vitæ agendæ initium exigere videatur, animas nostras ad meliora converti. Sim. de Cassia lib. 5.

Non Moyses dedit vobis panem de celo, sed Pater meus dat. Jo. 6. 32. Illa opera munificentiae sunt digna Deo, quæ non finiuntur tempore, sed quotidie continuantur. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 8.

Qui proprio filio suo non pepercit &c. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. 32. Si, quod majus est, & præcipuum, præstitit nobis, ut filium suum verum, & charissimum traderet propter nos adhuc impios; quare non, quod minus est, credatur facturus pro nobis Credentibus sibi, jam enim parata sunt Credentibus præmia: S. Ambrosius. hic.

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Act. 2. 4. Dedit eis carnem, mox daturus Spiritum Sanctum: movetur enim, unò beneficio datò ad plura danda. Sylv. hic. q. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil est igitur, quod negare nobis posse ve-reamur; nihil est, in quo de munificentiae divinae diffidere perseverantia debeamus, cujus fuit tam diuturna, & jugis ubertas; ut primò prædestinaret, deinde vocaret; & quos vocaret, hos & justificaret; quos justificaret, hos & clarificaret. P-terit deserere, quos tantis beneficiis suis usque ad præmia profecutus est? S. Ambr. l. 1. de Jacob & vita beata c. 6.

Plena semper, & redundantia sunt divina beneficia; non exiguo restricta numero, sed uberi bonorum coacervata congestu. S. Ambr. in Luc. l. 1. c. 1.

Si, antequam cum quaererem, bene fecit mihi, clamantem me non exaudiet? S. August. in Pl. 56.

Quid tibi promisit Deus? ô homo mortalis! quia victurus es in æternum. Non credis? crede, crede. Plus est jam, quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit, ut vivas cum illo? incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam, quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum? S. Augustin. in Plal. 148.

Tametsi lapideus etiam quis fuerit; tanta tamen jam sunt data dona, ut sufficiant cum excitare, & à præsentibus abducere, duplicique nomine ad futura complectenda erigere: cum quod adeo sunt magna, quæ jam exhibita sunt; tum, quod licet tanta sint, ac alta; primitiæ tamen sunt. S. Chrysof. in ep. ad Rom. c. 8. ferm. 14.

Christus breviter orare docuit, qui citò vult postulata præstare. Aut quid petentibus se non dabit, qui seipsum non petentibus dedit? S. Petr. Chrysol. f. 67.

Nesciunt in foribus hære, quæ cæli authore tribuuntur; semper incrementis ad culmen ascenditur, ubi supernus favor præstat exordium. Ennodius l. 5. ep. 16. Flumina, quò longius procurrunt, ampliora fiunt. Did. de Castillo Illat. 47.

§. IV.

Beneficiorum magnitudo ex persona dante.

Non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum Patribus meis. Gen. 47. 29. 30. Idem petebat Joseph Gen. 50. 24. Cur tanti æstimata sepultura in Chanaanâ? acceperant à Deo promissionem terræ illius; adeoque lætabantur in munere à Datore Deo. Rupert. l. 9. cap. 21. Donum Dei, qualecunque sit, sive magnum, sive parvum; cœleste, sive terrenum. Pro honore, vel charitate dantis pretiosum est, & debet esse in oculis sapientis. Baeza t. 2. l. 9. cap. 2. §. 32.

Non est sanctus, ut est Dominus, & non est fortis, sicut Deus noster. 1. Reg. 2. 2. Samuelis mater filio, cœlesti favore accepto, sic tota effusa in divinas laudes. Aliæ matres brachius deliniunt exoptatos infantulos: non est puer, ut hic puer meus, hic pulcher, hic elegans; at Anna, non donum, sed Datorem, intuetur. Id. ibid.

Veniat Dilectus meus in hortum suum. Cant. 5. 1. Disce, non quiescendum in Dei donis, sed in ipso Datore; & æstimanda beneficia, non tam propter se, quam Benefactorem: nec hortum animæ excolendum, ut nos ejus bonis ditemur, vel nobis ipsis dulces epulas paremus; sed ut Dilecto placeamus, & ipse in nobis jucundetur. Lud. de Ponte hic l. 8. Exh. 1. §. 1.

Munera tua sunt tibi, & dona domus tua alteri da. Dan. 5. 17. Respuebat dona, quæ à Deo suo sibi non venire videbat. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 32.

Quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. Jo. 5. 15. Muneris æstimatio ex persona dante incomparabiliter crescit. Et benefactori Jesu gratus, & sibi gratulans, hic homo, Jesum sanitatis suæ authorem, Judæis prædicat. Id. ib.

§. V.

Varia de magnitudine Beneficiorum.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2. 16. Nullum perfectum sensum videntur hæc verba habere. Quid est tibi dilectus tuus? quid tu illi? Aperit campum ad cogitandum, quam am-
pla,

pla, & copiosa beneficia in eam sponfus contulerit. q. d. ad aperiendam tantam rerum abundantiam deest oratio, verba non suppetunt. Nam, si dixerō, sponfus meus mihi consulit, nihil dixi. Si iterum, sponfus meus mihi operatur, mihi fauet; obruitur oratio rerum magnitudine. Et ideo nihil dicere possum, nisi, *Dilectus meus mihi!* Quid pro his ego possum rependere? nunquid sanctos cogitatus, memoriam continuam, orationes crebras, ferventes; jejunia, vigiliis, misericordiae opera; sed non adaequant magnitudinem beneficiorum Dei. Quid igitur faciam? una mihi videtur ratio respondendi tanto amori: ut ille mihi omnia factus, ita ego mea, & me totum ei impendam. Diez tit. Charitas.

A saeculo non audierunt, neq; auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus absque te, quae preparasti expectantibus te. II. 64. 4. Haec bona, Christi fuerunt miracula, ut docet Hier. & Chrylost. Bona Christi fuerunt ejusdem Sacramenta, & copiosa gratia, mentis quies, consolatio, gaudium, alique fructus Spiritus Sancti. q. d. à saeculis, ex quo natus est Adam, nemo unquam audivit, nec vidit; imò cogitare, & suspicari non potuit; tanta, & tam augusta, gratiarum dona, quae preparasti in Legge nova expectantibus te. Te, absque te, idem est, quod praeter te; unò te exceptò, ut verit. Vatablus. Corn. à Lap. hic.

Etiamsi faciamus, quacumque facere poterimus; nihil magnum faciemus, ut ei, qui nos tantis beneficiis praevenit, aliquid rependamus. S. Chrylost. in Gen. hom. 34.

Quam gratiam illi referemus? tametsi in terra mille annos viveremus; ne pro uno quidem colapho, illi ullò modò unquam, prout decet, reddere aequivalens, dignasque gratias referre, possemus. S. Ephrem de compunct.

Nihil illi ad mensuram minuti tribuere posses; si in retributionem eorum, quae pro te sustinuit, te mille millies annis, etiam gehennali incendiò, cruciaries. Cassidorus. Doultremon. l. 2. c. 3. sect. 8. de amore.

Quid retribuere pulvis, & vermis, Domino gloriae, qui pro eo animam suam in morte conclusit? ut beatitudine fruere, quam nec oculus vidit, nec auris audivit. Attende igitur sollicitus, quantum Domino tuo debes. Rlesens. ep. 137.

§. VI.

Bonus usus Beneficiorum, divitiarum, talentorum, gratiarum.

Ex Veteri, & Novo.

ET erans valde bona. Gen. 1. 31. Fecit Deus omnia valde bona. Nihil ergo naturam malum, quando & ipsa, quae in creaturis videntur esse poenalia, si bene utantur, & bona, & prospera sunt; si male utantur, nocent. S. Isid. cap. 9.

Aquae in sanguinem versa Aegyptiis, non Hebraeis. Ex 7. 20. In manu Aegyptiorum sanguis, inquit Josephus, in manu Hebraeorum mundissima erat aqua. Sic opes in manu impii foedus vitiorum sanguis, in manu probi instrumentum virtutis. Drexelius Opusc. 13. Salomon. c. 5. §. 1. Divitiae sunt ambidextrae, ad bonum, & ad malum, faciles trahi. Uti scalae ascensum, & descensum, juvant, ita pecuniae ad caelos ducunt & ad inferos. Id. ib.

Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fufum. Prov. 31. 19. Manum suam ad fortia, & heroica, extendere, est, res difficillimas, & sensualitati maxime repugnantes, operatam fuisse, & se spiritualibus exercitiis occupasse. Digi- ti ejus apprehenderunt fufum. Dices: tamne heroicum est nere, illud ut Spiritus Sanctus collocet inter heroica opera? Nota mysterium: nere, est ex sinistra in dexteram stupam traducere, & sic, quod ante erat in sinistra stupa, in dextera per fufum fit filum. Sinistra est vita praesens, dextera futura. Et omnia Mundi sunt stupa, valerudo, divitiae, honores, &c. unà scintilla comburuntur. Si bene scis nere, traduc haec temporalia à sinistra ad dexteram, fuso bonae intentionis, & divini amoris. Quando valetudinem, ingenium, divitias, honores, in obsequium Dei confers; recte nes, & stupam à sinistra in dexteram traducis. O miseros Alexandros, Darios, Caesares! &c. quot bona habebant in sinistra, & quam nudi nunc sunt, nescierunt enim fila ducere, nescierunt temporalia in aeterna transferre. Diez fer. 4. D. 3. Quadrag.

Venias Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Cant. 5. 1. Erudimini, qui possidetis terram: divitiae, quas tenetis, vestrae non sunt, sed Dei; dispensatores opum, & honorum, estis, non domini. Porro cum sponfam in cellaria introduxisset, non ad rapinam, & luxum; sed ad eleemosynam, incitavit. *Ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. 4. Oliva. t. 2. Strom. hic.

Vos estis sal terra. Matth. 5. 13. Non monet, fitis; sed estis: ut, quod sunt, pendant, & necessitatem incumbendi proprio officio cognoscant. Universa, quae à terrenis hominibus appetuntur (sive naturalia, ut proles, & delectabilia tactus, aliorumque sensuum; sive divitiae, honores, imperia, & gloria; sive scientiarum, & artium notitiae) indigent condimento vestro; ut salubriter appetantur, salubriterque illis homines utantur. Ca- jet. hic.

Quia super pauca fuisi fidelis. Matth. 25. 21. Quae illa pauca? certe omnia illa, quae in hoc Mundo pretiosissima aestimantur; omnia, quae aut animae, aut corporis ministerio assignata, fideli usu ab homine sic tractantur, ut virtutum incremento, & divini beneplaciti obsequio deputentur. Ramirez in epist. Chr. ad 7. Ep. ep. 2. Apoc. 2. v. 10.

Ministrabat illis. Marci 1. 31. Non ista beneficium otiosa susceperit, non accepta sanitate illico contulit ad agenda; conspiciens fore necessitatem, & deceniam Christo pauperi, & ejus collegio, ministrare, non expectavit de ministracione præceptum; quanquam non sine præcepto importuna febris abivisset. Optimum in moribus est, acceptæ gratiæ cooperari; & omne, quod à Deo accepimus, in dedicationem convertere: sicut ipsa sanitatem acceptam in obsequium illico statuit Largitoris. Sim. de Cass. l. 5. c. 9.

Reliquum est, ut, & qui habent uxores, tanquam non habentes sint &c. 1. Cor. 7. 29. 30. S. Greg. hom. 36. in Evangelia: ille uxorem habet, quasi non habens, qui sic placere studet uxori, ut tamen non displiceat Conditori. *Flet* quoque, sed tanquam non flet: qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. *Gaudet* verò; sed tanquam non gaudeat: qui sic de temporalibus bonis hilarescit; ut semper tamen tormenta perpetua consideret. *Emittit* autem, sed quasi non possidens: qui & ad usum terrena præparat; & tamen cautâ cogitatione providet, quod hæc citius relinquet. *Mundò* quoque *utitur*, sed quasi non utatur: qui & necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit; & tamen hæc eadem non finit menti suæ dominari. Diez tit. Martyres.

Ex Patribus, & aliis.

Hoc solum queritur, ut, quidquid habuerit homo ex Deo, totò eò utatur ad gloriam Dei. Orig. tr. 33. in c. 24. ep. ad Timoth. post medium.

Utere sanitate corporis in sanitatem animæ. S. Chrysol. hom. 23. in Acta.

Non solum spirituales opes, & dona cœlestia, Deo donante, capiuntur; sed etiam terrena, & corporeæ facultates ex ipsius largitate proveniunt: ut merito rationem earum quaesiturus sit; qui non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei iuste & sapienter utendum est; nè materia boni operis fiat causa peccati. S. Leo l. 5. de Collectis.

Anima habet tres potentias, rationem, voluntatem, & memoriam. Ratio data erat ei, ut Deum agnosceret; voluntas, ut eum amaret; memoria, ut in eo quiesceret. S. Bonav. de Reform. mentis c. 11.

Ut Impedimenta improbis divitiæ, ita bonis sunt adjuncta salutis. S. Ambrosius l. 8. in Luc. apud Octavianum in Ecclesiast. 13. 30.

Ille habet aurum, qui novit uti auro, &c. Vide superius.

Devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam profilit, non ad superbiam pertumescit. S. Petrus Chrysol. f. 142.

Nos usum tantum earum accepimus, quas tenemus; commodatis à Deo facultatibus uti-

mur. Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quòd ea, quæ donò Dei accepimus, ad Dei cultum referre debeamus. Salvianus l. 1. ad Eccl.

Ad instar fœneratoris, qui mutat pecuniam ad lucrum, mutat nobis Deus animam cum potentiis, corpus cum membris; de quibus vult habere lucrum. De memoria vult, ut memoremus ejus beneficia; de intellectu vult lucrum fidei, quæ in intellectu consistit; de voluntate vult lucrum amoris, devotionis, & bonorum desideriorum; de manibus elemosynas; de toto corpore vult lucrum penitentia. S. Vinc. Ferr. ser. 5. post Judica.

§. VII.

Abusus Divinorum Beneficiorum.

Ex Veteri.

Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea. Ex. 12. 35. Dicitur hic, quòd Deus Ægyptios auro, rebusque pretiosis, spoliavit; easque Hebræis tradidit; ut divites eorum servitute evaderent. Eodem autem auro, quod eis Dominus dedit, fecerunt sibi vitulum in Horeb, Ex. 32. 4. Sic multi beneficium divinis, pulchritudine, sanitate, scientiâ, honore, divitiis, Deo bellum inferunt. Diez D. 3. Epiph.

Quis est David? -- tollam ergo panes meos, -- & carnes pecorum, quæ occidi tonforibus meis. 1. Reg. 25. 10. 11. Hæc loquitur, qui de Mundo est, qui dives in Mundum est: nescio Christum, quis est pauper, ut dem ei cibum? cui ergo servas illum? tonforibus meis. Quis tonfor tuus? ludus, muliercula, vanitas; hi sunt tonfores tui. Oforius D. 4. Quadr.

Oscularisque est rex Absolon. 2. Reg. 14. 33. Quid eum putas ex ore regis hausisse? palmorum fragrantiam? humanitatis candorem? pacis iridem? Superbit, arsit, rebellavit. 2. Reg. 15. 1. *Igitur post hæc fecit sibi Absolon currus, & equites.* Beatior fuisset serpentis mortu, quam regis osculo; qui que fortasse vixisset post poenam, post amplexum perit. En fatum murmur in manna Num. 21. 5. *cur eduxisti nos de Ægypto?* En fragrans in veneno thus: *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* ib. v. 6. Irriguam sibi ad incolendum regionem dilexit Loth Gen. 13. 10. quæ universa rigabatur *sicut paradysus Domini.* Noli fidere ubertati, captivitatem legit; sulphur, non lac, emulsi; uxoris funus, non gregum foetus, aspexit. Exceptus à Jabele Sifara videbatur sibi nactus in naufragio portum. Judic. 4. 21. *Intra ad me Domine; intra, nè timeas.* v. 18. Cum sitiret aquam, recreatus est lacte; quid felicitis? sed Lachesis latebat in lacte. Quò triumphò advecta putas vasa aurea templi in palatium Regis? mors in phialis, non triumphus: ut primum tuis usi Chal-

Chaldaei, occisi sunt à Medis. Dan. 5. 2. 30. O-liva l. 2. Strom, hic.

Nonne tu vallasti eum. Job. 1. 10. q. d. non mirum, Domine, si Job te amet, & timeat; quando tot bonis eum accessisti, ut nec rimulam inveniam, quàm eum aggrediar. Tolle ab eo hunc murum; & audacter illum aggrediar. O rem horribilem! eò scilicet humanam malitiam pervenisse: ut cum divitiarum olim murus, & praesidium contra demones hominibus fuerint, & ad amicitiam Dei conservandam valde conduxerint; nunc illis, tanquam armis, contra Deum bellum gerant. Diez in Nat. D. conc. 3. *Ipsi autem spreverunt me.* Il. 1. 2. Unde tam immane populi chari flagitium? ex bonis divinae charitatis: *filios enutrivit, & exaltavit.* ib.

Vestivi te discoloribus, & calcavi te hyacintho; - *& dedi coronam decoris in capite tuo.* Ezech. 16. 10. 12. Quid non expectas in Deum hostiarum ab Jerusalem, quam Dominus & lavit, & compisit? En vicimas: *& tulisti vasa decoris tui.* v. 17. Quibus Esther, 5. 1. muneribus Domino jungebatur, in folio Deo propior, quam Asvero; iis Synagoga iniquissime defecit à Deo suo. Ergo nobis adscribatur, quidquid in caelum, Deumque peccamus; quando congesta ab eo in nos munera in tela vertimus, ut in eum confurgamus. *Olive fer. 4. D. 1. Quadr.* *Argentum multiplicavi ei, & aurum, quae fecerunt Baal.* Os. 2. 8. Quae abundantia argenti in Israel? 3. Reg. 10. 27. tanta abundantia argenti in Israel, quanta & lapidum. Quiritur Dominus de abusu beneficiorum. Rupert. l. 1. in Os. o dira ingratitude! de auro & argento meo, fecerunt mihi contraria, vitulos, & Baal, caetera deorum portenta. Sylv. in Jo. 9. cap. 18. q. 10.

Vitis frondosa Israel, secundum multitudinem fructus sui, multiplicavit altaria, juxta ubertatem terra sua exuberavit simulacris. Os. 10. 1. Tum maxime Deus memoria hominum elabatur, cum beneficiis ejus fruente honorem dare divinae indulgentiae deberent. Lact. l. 2. div. instit. cap. 1. Saul, dum pecora adhuc pasceret, juvenis erat modestus, & pius: cum in Regem à Deo electus est; mores mutavit, & pessimus evasit. David inter persecutiones innocens, mansuetus, & vir secundum cor Dei: ubi Dei gratia hostes vicit; in adulterium, & homicidium degeneravit. Nimià felicitate inflatus Salomon idololatra factus, Ozias sacrilegus. De his Job 21. 14. dicebant: *recede à nobis.* Quando in Deum ita debacchati? an cum eos inopia, aut morbo, premeret? non; sed cum implerent domos eorum bonis. Paulus Segneri serm. 17. fer. 2. D. 3. Quadr.

Ex Novo.

Va vobis divitibus &c. Luc. 6. 24. 26. Licet in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum; pleraque tamen sunt etiam incentiva virtutum. Quanquam virtus subsidia non requirat, & commendatior sit col-

Polyanth. Sacr. Tom. I.

latio pauperis, quàm divitis liberalitas; tamen non eos, qui habeant divitias, sed eos, qui uti his nesciant, sententiae caelestis auctoritate condemnat. S. Ambrosius in Luc. hic.

Hec dicens clamabat. Luc. 8. 8. Res mira, & maximam consideratione digna: aliquò, sine dubio, dolore afficitur, & maximò. Vincitur, alapis caeditur, & verbum non loquitur; quasi uteretur coram tondente &c. Il. 53. 7. Estne aliquid, Domine! quod te majori afficiat dolore, quàm flagella, corona, clavi, crux? quod istud? utique semen amissum. Ofor. D. Sexages.

Disparavit substantiam suam. Luc. 15. 13. Hic est filius ille prodigus, qui portionem paternae substantiae, quae se contingebat, accepit: ingenium scilicet, memoriam, vires corporis, caeteraque similia bona naturae; quibus non ad divinam, sed suam uteretur voluntatem, essetque tanquam sine Deo in hoc saeculo. S. Bern. serm. de div. affect. animae. Per substantiam interpretantur liberum arbitrium, Hier. Theophyl. Euthym. Per eam explicat omnia dona homini concessa, Aug. Hier. Barrad. Leo. Burg. Cornelius. Sylv. in Luc. 15. q. 1.

Epulo dives. Luc. 16. 24. In tormentis aeternis; Abraham, etiam dives, in refrigerio exultat. Quomodo adeò diversa fortuna? quia in simili fortuna dissimilis erat usus. Dives divitiis abusus est ad luxum, & fastum, exquisitas epulas (*epulabatur quotidie splendide*) Abraham ad miserorum opem, ad virtutis cumulum, hospitem solatium. Naxera in Jos. 10. 5. 34.

Purpuram, bysso, delicatis vestibus, epulis blandis, ferrea viscera crudelis anima nutrebat. S. Petr. Chrysol. l. 121.

Ex Patribus, & aliis.

Si calicem aureum invenisses in terra, donares illum Ecclesiae Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum; & ministras inde libidinibus, & in illo Sathanae propinas te ipsum. S. Aug. ep. 39. Licentio juveni nobili, & docto, hortans eum ad Mundi contemptum.

Qui tibi felicitatem dedit hujus saeculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. S. Aug. tr. 12. in Jo.

Valetudinem corporum in usum consumimus vitiorum, bona mentis in usum expendimus vanitatis. S. Bern. Dom. 10. Pent.

Omnia, quae ad usum vitae accepimus, ad usum convertimus culpae; sed cuncta, quae ad usum pravitatis infleximus, ad usum vertuntur ultionis. S. Greg. hom. 35. in Evang.

Iram contra nos superni judicis inextinguibiliter accendimus; si contra benignitatem illius etiam ex ipsa sua largitate pugnamus. Id. mor. l. 30. c. 9.

Ad hoc tantum à Deo datam quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in omni scelere, atque improbitate, vivamus. Quasi vero beneficium datae pacis, vacatio

Y

catio

catio fit probrofitatis; & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, ut licentius, atque securius, peccemus. Indigni itaque cœlestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene utimur; qui facimus, rem operum bonorum, materiam tantum esse vitiorum. Quò fit, ut pax contra nos sit: quia sic agitur à nobis, nè expediat rem recipere, quâ deteriores sumus.

Quis hoc credere queat? Mutamus naturam iniquitatibus nostris: & quæ Deus bona fecit, manere pietatis suæ, ea nos nobis facimus mala esse moribus malis. Salvia. l. 6. de Providentia Dei.

Præclara dona ejus, vel agnoscimus, vel honoramus; qui, quantum ab eo beneficii accepimus, tantum ei injuriarum repensamus. Id. ib.

In injuriam cedit donantis donum negligere, nec eò uti, quod donatum est, quod esse constat intolerabilis superbiæ displicentis & ingrata. Gerson. confid. 3. mystica Theol. practica.

§. VIII.

Beneficiorum memoria, perceptio, oblitio.

Ex Veteri.

Semini tuo dabo terram hanc. Gen. 12. 7. Audit hoc Abraham à Deo, & ibi edificavit. altare Domino & aliud v. 8.

Locuples atus est homo. Gen. 26. 13. Isaac v. 24. audit à Deo: *noli timere, quia ego tecum sum.* in gratitudinem edificavit ibi altare Domino v. 25. Parantur à bonis viris monumenta, quibus monerentur de acceptis bonis; quasi timerent, nè oblitio irreperet divinæ beneficentiæ. Luc. de Velloso in Judith cap. 2.

Ecce Dominus meus &c. Gen. 39. 8. Joseph bona, quæ affectus fuerat, repente memorie intulit; & malum, quod se pulsabat, ejecit. Et quia perceptæ gratiæ meminuit, vim culpæ imminens fregit. S. Greg. mor. l. 30. c. 9.

Ut sit signum. Ios. 4. 6. Disce hic, quàm Deus rigide exigit beneficiorum suorum memoriam; & gratos iis præmiat; ingratos privet, & puniat. Corn à Lap. hic.

Si bona accepimus &c. Job 2. 10. Magna consolatio tribulationis est, si, cum adversa patimur, Authoris nostri ad memoriam dona revocamus. S. Greg. mor. l. 3. c. 7. in Job. hic.

A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Psal. 4. 8. mox præcessit: *multi dicunt: quis ostendet nobis bona.* v. 6. Si abundantiam à Domino acceperunt, quomodo de Largitore jam dubitant? quis eis bona ostendit, & præstitit, ignorant. Theodoret: etiam de manu Dei bona ferentes dicere audent, *quis ostendit nobis bona?* Alvarez Joseph illustr. illustr. 128.

Memento horum Jacob, formavi te. Is. 44. 1. Procopius hic: optime in oblitivum Israël em usurpavit illud verbum *Memento.*

Comede, quacunquē ego do tibi: Ezech. 2. 8. hoc est, rumina, expende; & memorie, tanquam stomacho, commenda. Hoc est comedere, & in stomachum trajicere. Et quemadmodum ex stomachi officina digestus cibus in reliquarum partium alimentum, totius corporis bono, distribuitur; contra ventriculi, seu concoctionis vitio languent vitalia, spiritus deficiunt, tabes oritur: ita, ex memoria beneficiorum Dei, cæteræ facultates animæ, & imprimis voluntas, incalcescit, alitur, atque in charitate roboratur. Contra ejus defectu languet, & arefcit. Doultreman. l. 1. c. 3. de amore. sect. 10.

Saturati sunt, & ebriaverunt corpus suum, & oblitio sunt mei. Os. 13. 6. In beneficio accepto lethargum bibunt ingrati. Sicut, cui vini copiam ad ebrietatem propinas, ebrius vinò, tui fit immemor; sic, quem beneficiis cumulas, tui immemorem facis. Alvarez Jos. illustr. illustr. 128.

Quinquages, nec sapius, minusve, reperitur in S. Scriptura mentio liberationis, & egressionis filiorum Israel ex Ægypto: ad denotandum verum Jubilæum nostrum, sive Pentecosten, in qua Spiritus S. diffunditur. Sed non sine præviâ, frequentique redemptionis nostræ recordatione, atque gratiarum actione. Doultreman. l. 1. c. 3. de amore sect. 10.

Ex Novo.

Vade in domum tuam. Matth. 9. 6. Introrsus ipse remittitur; ut noverit spectando, quod acceperat, ad quid obligetur ex acceptis. Optima, & grata consideratio est, etiam si respondere nequit, habere præ oculis beneficia Creditoris, maxime Creatoris; qui nullis nostris meritis, expedientia nobis gratis, & benigne, concessit. Sim. de Cass. l. 5. c. 26.

Beatus venter, qui se portavit. Luc. 11. 27. cur non dicitur genuit? sed portavit? quod pondus, & onus innuit? Resp. cum Virgo Christum concepit supremâ Maternitatis Dei dignitate super omnes puras creaturas sublimatur: & quò major collata beneficiorum celsitudo, eò majus, graviusque pondus imponitur. Moyse Num. 11. 11. *cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Gen. 48. 22. Dicit Jacob Josepho: *do tibi partem unam extra fratres tuos.* Hier. legit: *do tibi humerum unum.* Carolus V. jam senescens, onerum Reip. pertæsus, cum regnum in Philippum II. transferret, lacrymans dixit: *ô fili! magnum tibi onus impono.* Sylv. in Luc. 11. Matth. 12. c. 23. q. 19.

Annulum in manu. Luc. 15. 22. Annulus datur in manu, in memoriam receptorum, nec non ad considerationem omnium inductorum: ut eum gratitudo in bonis operibus semper fervere faciat, quem ingratitudinis ad tanta mala pertraxit iniquitas. Sim. de Cass. l. 8. hic.

Colligite fragmenta, nè pereant. Jo. 6. 12. Jubemur colligere fragmenta, nè pereant, id est, nec minima beneficia oblivisci. S. Bernard, in Cant. l. 51.

Scitis, quid fecerim vobis. Jo. 13. 12. Non flet illa vox, sed semper ab eo tempore, quò emissà fuit, clamavit, clamat, & clamabit; *Scitis.* Scimus ergo, quid fecerit nobis. Ac per hoc, hæc scientia, velit, nolit, tenet omnem hominem inexcusabiliter; atque totaliter, debitorem. Hæc scientia scripta in tabulis cordis; in lamina rationis, in charta memoriæ; à peccatis avertit, & innectit virtutibus. Hæc scientia querit solertem, petit activum, devitat ignavum, gratum vult, condemnat ingratum. Sim. de Cass. l. 13. c. 5.

Ex Patribus, & aliis.

Tum Deus maximè è memoria hominum elabitur, cum, beneficiis ejus fruente, honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò; si qua necessitas gravis presserit; tunc Deum recordantur. Lact. Firmianus lib. 2. Institution.

Non verecundæ, sed ingratae mentis, indicium est, beneficia tacere divina. S. Leo. l. 1. de ass. ad Pontif. Manna Ex. 16. 33. Deus mandavit reponere in arca testamenti, ad perpetuam memoriam. Did. Stella. de contempt. p. 2. c. 55. Ut gratitudinis memoria non intercidat, solet Deus illi, quem ad magna elegit, mutare nomen; quod fecit Abraham Saræ, Jacob Petro. Id. ib.

Cùm Dei beneficia confiteris, immolas DEO sacrificium laudis. S. Bernardinus ep. II. 2.

§. IX.

Beneficia DEUS vult sibi adscribi.

Si septem crines capitis mei &c. Jud. 16. 13. Querit Pineda, cur Deus vires Samsonis magis in capillis, quàm aliâ corporis parte, constituere voluerit? nonne robur in laertis, humeris, pectore, melius, quàm in tam imbecilla corporis parte fuisset? Resp. ut illam suis lacertis nunquam tribueret; imò potius propterea agnosceret, illam acceptam divinitus. Illam Deus rei, & partium corporis omnium tenuissimæ; atque in constantissimæ; alligatam voluit. Did. Niss. D. 4. Quadr. §. 5.

Loquimini ad petram coram eis. Num. 20. 8. Querit Abul. 1. cur Dominus præcepit loqui ad petram? 2. quare eorum omni populo. 3. cur durò saxò potius, quàm molliore terrâ; prolucis aquam voluerit? Respond. q. 3. hic: ut ostenderet cæco illi populo, à miraculo beneficium venire. Did. Niss. Sabb. post Cineres.

Vade, & lavare septies in Jordane, & recipies sanitatem caro tua. 4. Reg. 5. 10. Abul. q. 6. hic: quòd miserit eum ad fluvium Jordanis potius, quàm ad alium; fecit hoc: quia minus verisimile erat de aqua Jordanis, quòd sanare posset; quàm de alia aqua: eò quòd erat turbida, & turbulenta, propter alluvionem. Id. ib.

Polyanti. Sacr. Tom. 1.

Laborantes in remigando. Marci 6. 48. Deus beneficia sua ita confert, ut ea alteri, quàm ipsi, nemo adscribere possit. Discipulis apparuit Christus, ut tempestatem componeret, ubi imparè suam diligentiam viderunt. Theophyl. in c. 6. Jo. non statim ab initio periculi, sed in fervore, apparet Christus; ut; cum noverimus omnem nostram virtutem, & sapientiam; invenimusque quàm infirmam; ad illum confugiamus solum, qui salvare potest, & non nobis ipsis adscribamus salutem. Id. ib.

Accepti panes. Jo. 6. 11. Ut aleret turbam, accepit Christus in manus panem: quia vult, ut intelligamus, omnia bona nostra ab illis descendere; poterat enim in manibus Discipulorum panes multiplicare. Did. Niss. Dom. 4. Quadr.

§. X.

Per Beneficia Divinitas Christi manifesta.

Evanescentes renuntiate Joanni. Math. 11. 4. S. Cyrill. lib. 2. thes. c. 4. Christus miraculorum magnitudine simul & multitudine, ostendit se Messiam esse. Adde & beneficiam. Corn. à Lap. hic. Plenum sanè testimonium, quò Dominum propheta cognosceret. De ipso enim, & non de alio, fuerat prophetatum Pl. 145. *Dominus dat esciam esuriensibus, Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus diligit justos, Dominus custodit advenas, orphanum & viduam suscipiet.* S. Ambros. in Luc. 7.

In ipso vita erat, & vita erat lux hominum -- ut testimonium perhiberet de lumine. Jo. 1. 4. 7. Orig. tr. 5. in Jo. quæro: cur tandem, cum Joannes missus à Deo venerit ad testificandum, ut testificaretur de lumine, non etiam venerit, ut testificaretur de vita? Respond. Homo nullus, qui veniret, testificari poterat de vita, etiam nunc abscondita cum Christo in Deo, q. d. Salvator se abscondit, tantumque vult dignosci per beneficia. Bæza l. 1. c. 8. §. 12.

Ecce agnus Dei. Jo. 1. 29. Intuitus Joannes Jesum, id de illo ostendit, quod in Deo patentissimum est; & se undique prodit, scilicet ejus benignitatem, & dilectionem; *ecce Agnus Dei:* nam amor, & benignitas Dei; nequit non in oculos exilire, seque creaturarum obtutibus præsentare. Bæza l. 6. cap. 1. §. 2.

Humanitas, & benignitas apparuit Salvatoris. Tit. 3. 4. Quid, o Paule! apparuit? apparuitne Salvator? apparuit potius *benignitas, & humanitas.* S. Ambros. ep. 86. Hæc est Salvatoris pietas, ut interveniat salutem, ac non se prodât, aspectu; sentiat beneficiis, & non sentiat obtutibus. Amat suam personam latere, & sua publicari beneficia. Bæza l. 1. c. 8. §. 12.

Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam; & lucerna ejus est ignis. Apoc. 21. 23. Ubi Deus Agnus agit, benignitatis opera manifestat, nulla necessaria sunt luminaria: ipsa opera, ipsa agnina benignitas, per se satis perspicua est, & oculis patet. S. Irenæus l. 4. nemo investigavit altitudinem ejus, nec veterum, nec eorum, qui nunc sunt. Secundum autem dilectionem cognoscitur semper, per eum, per quem constituit omnia. Est autem Hic Verbum ejus D. N. J. C. Apoc. 19. 17. *Et vidi unum angelum stantem in Sole.* Nullibi melius, quam in sole stare ad Dei coenam invitans: quia beneficia Dei clariora sunt solis radiis, Baeza l. 6. c. 1. §. 2.

§. XI.

Beneficia retrahunt à peccato, faciunt probos.

O Mne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. Gen. 9. 3. Ante diluvium non legitur carnis ejus permissus; permissus est post diluvium. Actum est id in amoris signum. Gennadius in Catena: à diluvio majori usus est liberalitate; ut sic homines afficeret, ut majores culpas vitarent. Novarin. agn. Euch.

Per annos 40. annonam de caelo consecuti sunt. Judith. 5. 15. Seneca l. 7. de benef. c. 28. vincit malos pertinax bonitas. Basil. Seleuc. or. 19. Contumaciam tuam (Hebraei) reverentiam mollire machinatus Deus, supernè alimentis parandis coelum vocabat; infernè rupes ad inexpectatas aquarum potationes adornabat. Luc. de Velloso in Judith 5. Parænet. 30.

Cepit illum deprecari, qui à demonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. Marci 5. 18. A Deo benefactore tuo nunquam discede. Liberatus hic homo à demonio sic Jesu adhaesit, ut anxie contenderet, nunquam separari ab eo. Praeclarus gratitudinis affectus, benefactori suo semper adherere. Baeza l. 7. c. 2. §. 16.

Pertransiit beneficiendo, & sanando omnes. Act. 10. 38. his industriis suas effecit Christus, Samariam, Galilæam, & Judæam. Gilbertus Abb. f. 33. in Cant. non est parca clementia Christi, nec pigra quidem. Revolve Evangelium, & ubique invenies Jesum, & copiosum, & citum.

Ex Patribus.

Quoniam beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum est, ut poenâ torquearis. S. Chrysol. hom. 61. in Matth. 18.

Homines primum volunt ea, quæ præcipiunt, opere compleri, magnaque obedientiâ, & benevolentia, erga se uti subditos mandata suscipientes; ac tunc utique cogitant de remunerandis iis, qui multum obedientiam præ se tulerint. Non ita se gerit communis omnium Dominus: prius enim benefacit, & multitudine beneficiorum nostra naturam ad se allicit; & postea imperat facilia, atque levia; ut facilitate mandatorum, & beneficiis prioribus, excitati, ad ea implenda ducamur. Id. hom. 27. in Gen.

Væ illis, qui rebelles sunt lumini! & resistunt Spiritui Sancto, nec acquiescunt veritati, quam intelligunt: & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate, & beneficiis Dei, clariores fiunt: audacter etiam provocantes eum; cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Guarric. ferm. in die Ascens.

Prima vox est beneficii, quâ Deus tractat peccatorem primò benignè, ac benevolè. Dat ei salutem & bonos successus, temporalium, honores, divitias; & facit, ut ei omnia ad libitum succedant; si forte convertatur, & dicat: Anima mea! serviamus tam bono, & pio Domino, qui tam benignè nos tractat; qui pro tormentis tot largitur beneficia; & pro Inferno, quem meremur, dat nobis rerum temporalium abundantiam, S. Thom. Vill. f. D. 4. Adv.

§. XII.

Varia de Beneficiis Divinis.

Benedictus Dominus Deus Israel. Luc. 1. 68. Non ob id solum, quia potissimè à populo Israel celebratur, *Deus Israel* dicitur; sed etiam propter peculiaria beneficia huic populo exhibita. Did. Stella hic.

Per homines divinitus plurima beneficia suppeditantur. Clem. Alex. l. 1. Strom.

Notabili animadversione pensandum est, quòd altiora dona nequaquam conservari solent accepta; si absque arumoso labore fuerint acquisita. Unde Luciferum à tanta altitudine gratiæ cernimus cecidisse? nisi quia tanta donâ absque labore adeptus est. S. Bernard. Sen. t. 1. f. 8. a. 2.

TITULUS VII.

BLASPHEMIA.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Vir, in cujus capite germinaverit lepra. Levit. 13. 29. In capite lepram bajulat, qui blasphematur Divinitatem; vel in Christum, qui est caput Ecclesiæ, peccat. V. Beda hic.

De Philisthæo illo, qui exprobat agminibus Israel, dicebat David ad Saulem: *nam & leonem, & ursum, interfecit ego servus tuus; erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* i. Reg. 17. 36. ubi impium illum, & blasphemum, bestias comparat.

Theo.

Theodoret. q. 40. Nihil differt à bestiis, qui vivit in impietate. Mendoza hic.

De ore ejus lampades procedunt. Job. 41. 10. Sive, rotæ ignis accensæ. Quemadmodum os Domini sunt prophætæ, & sancti, per quos loquitur, qui dicunt: os Domini locutum est hæc; ita & omnes blasphemi os diaboli rectè dicuntur. V. Beda. l. 3. in Job. c. 10.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Pf. 5. 11. Per hæc verba innuit blasphemias quæ contra DEUM jaçantur. B. Theodoret. hic.

Si quis lupum cooperiat pelle ovina, quo modo cognoscat illum? nisi aut per vocem, aut per actum. Ovis inclinata deorsum balat; lupus in aëra convertit caput suum contra cælum, & sic ululat. Qui verò secundum Deum vocem humilitatis, & confessionis, emittit, ovis est; qui verò adversus veritatem turpiter blasphemis, ululat contra Deum, lupus est. Drex. Orb. Pæth. c. 6. §. 1.

§. II.

Blasphemia malitia, & abominatio.

Percutiam te, & auferam caput tuum à te. 1. Reg. 17. 46. Si caput vis tollere, cur solâ fundâ contentus? cur non & gladium paras? Audierat Philisthæi blasphemias; & supervacaneum putat, gladium quærere: quando blasphemus ipse sibi gladius est, & enses porriget in suam necem. Bæza t. 3. l. 14. c. 6. §. 7.

Benedic Deo, & morere. Job. 2. 9. Ità allocuta est uxor cupiens maritum à malis quamprimùm eripere. Vide, quale venenum illi porrigat *Benedic* ait, pro maledic. Nec enim efficacius virus potuit vel à foemina excogitari, ad perdendum citius virum; quam si suaderetur nominis Dei maledictio. Bæza t. 3. l. 14. c. 6. §. 7.

Posuerunt in cælum os suum. Pf. 72. 9. Si audes os aperire adversus omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubim, & Seraphim, non audent oculos conjicere? Cras tribunali ipsius præsentandus audes talia eloqui? & non metuis, nè fortè ignis è cælo descendat, & devoret te; dum tu sis os tuum adversus omnipotentem aperis? neque vereris, nè fortè terra sub te repente dirumpatur, & te absorbeat. S. Ephrem Paræn. 43.

Sanctificetur nomen tuum. Matth. 6. 9. Prima petitio est contra peccatum blasphemie: multi enim non sanctificant, sed blasphemant, nomen Dei benedictum. Rex Franciæ S. Ludovicus fecit in regno suo ordinationem, ut blasphemus signaretur in lingua, vel facie, ferrò calidò. Parisiis magnus Burgenfis blasphemavit, captus, signatus, nec quidquam amicis ingentem pecuniam spondentibus. Et dixit Rex: vellem portare signum illud, ut hæc mala consuetudo tolleretur de regno meo. S. Vinc. Ferr. l. 2. D. 4. Pasch. Qui tunc à Judæis cæsus est, nunc etiam falsorum Christianorum blasphemis eaditur. V. Beda in Marc. l. 1. c. 1.

Spiritus autem blasphemia non remittitur. Matth. 12. 31. Ideo dicitur irremissibile, non quasi nequaquam remissibile; sed quia difficulter, & rarò dimittitur; non ex immisericordia Dei, sed quia homines de tali peccato rarò, & difficillimè, poenitent. Dion. Carth. hic.

Colaphi, & sputa, Judæorum significant blasphemias falsorum Christianorum, quibus incessanter Deum inhonorant. Hugo Card. in c. 22. Luc.

Non est, qui contra principem aliquem, vel civitatis cujusunque Rectorem, audeat maledictionis verbum proferre, quin capiat, ligetur, verberetur, & morti sæpe tradatur; sed a ribaldis, & lusoribus, totâ die Divina potentia blasphematur sed nemo est, qui capiat tales; qui divinò Zelò accensus vindictam exquirat. S. Bonaventura. l. 3. de Virgine una sancta.

In blasphemia intendit homo directè offensam Dei, & de iplo se vindicare; qui nullam commisit, neque committere potest culpam. Blasphemator propriè designatur per coccineam bestiam, de qua Apoc. 17. vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiarum. S. Bern. Serm. 41. a. 1.

Peccatum tantò majus est, & gravius, quantò minus motivum habet; In blasphemia autem nullum est motivum: quia nulla est ibi delectatio ad blasphemandum inducens. Idem ibid.

Grave est blasphemare DEUM, cum; illum blasphemando, lingua blasphemantis efficitur quasi gladius cor DEI penetrans, & ensis undique Deum scindens. Id. ib.

Ô rabidi canes, ô diabolici homines, ô incarnati dæmones, ô animæ maledictæ, ô prodiiores, & occisores majestatis divinæ. Idem ibid.

Quis magis ingratus est Deo de beneficio spiritualiter sibi collato, præ cæteris creaturis, scilicet loquelâ, & linguâ, quam blasphemator nominis Dei; qui, cum debeat dicere cum Propheta: *benedicam Dominum in omni tempore, &c.* Pf. 33. 2. Dominum suò ore fecidè maledicis. Id. a. 2.

In hoc distingui possunt filii DEI à filiis dæmonum: nam veri filii DEI tolerare non possunt, quòd verus Pater eorum immaniter à blasphemantibus sagittetur; de quo filii diaboli minimè curant. Habuit quidam ex propria uxore communi opinione filios tres; quadam die rixans mulier ait: ex his tribus filiis unus tantum tuus, duo sunt ex alio; quis uterinus esset, nunquam voluit aperire. Moritur mulier, paulò post & vir, qui fecit testamentum indeterminatè, ut legitimus esset hæres. Mortuò patre oritur contentio inter fratres coram Judice: hic alligati jubet cadaver patris, & quem libet sagittam in id jacere; ex optimo jacti legitimus agnoscendum. Primus reclusit sagittam jecit, secundus nititur superare primum; tertius refugit. Date, inquit, cui-

libet hæreditatem, quam amittere eligo, quam meum, licet mortuum, patrem vulnerare. Et huic adjudicata. Id. l. 4. t. 2.

Soler homo, ex qua patria sit, per loquelam agnosci. Tres autem regiones possidet Deus, scilicet cœlestem, mundialem, & infernalem; qualibet autem eorum habet linguagium suum, unde cognosci possit. Regio cœlestialis habet pro linguagio suo, semper Deum benedicere, & laudare: *beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Pl. 83. 5. Vis autem scire, quis sit jam in terris cœlestis civis? considera hominem in angustiis positum, paupertate, penuriâ, infirmitatibus, & aliis adversitatibus conqussatum, & in omnibus semper laudantem, & benedicentem DEUM; hic cœlicus civis est, sermo indicat. Mundialis autem regio etiam suos cives habet, ex sermonibus cognoscendos: superbi enim loquuntur de honoribus; luxuriosi de vanitatibus & lasciviis; avari de lucris, & thesauris. Qui de terrâ est, de terra loquitur. Infernalis autem patria etiam nunc in Mundo multos concives habet: sermo infernalis nihil aliud est, quam blasphemia, & maledictiones Dei, Virginis, ac Sanctorum. Blasphemi igitur, quia jam scripti sunt in libro aeternæ perditionis, ideo jam a sevelcunt loquelæ officio, quod facturi sunt in inferno. Cognoscuntur Galli ex loquela sua, Alemanni ex sermone suo, & Itali ex idioma te suo; sic & reprobi homines ex blasphemii suis. O homines infernales! ô tartarei cives! ô confocii inferorum! cuilibet vestrum dici potest, quod Matth. 26. 73, dictum est Petro: *vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit.* Idem a. 3.

Machometes infidelissimus canis in suo Alchorano præcepit, quod, quicumque DEUM, & CHRISTUM, etiam B. Virginem, blasphemaret, medius divideretur. Idem ibidem.

§. III.

Blasphemus punitur, arguitur à DEO, & hominibus.

ET lapis eum populus universus. Lev. 24. 14. Non ab uno, sed à tot iudicibus,

quot civibus, damnari, & castigari, jubetur tantum peccatum. Sed cur? ut totus populus imberet horrorem, & averfionem, à blasphemia. Salvian. l. 4. de gubern. Dei. Ne quis postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset. Bæza t. 2. l. 10. c. 8. §. 5.

Postquam de blasphemia nobis verba nunc facta sunt, unam vos omnes peteré volo retributionem, pro concione hac, atque sermone: ut in civitate blasphemantes mihi castigetis; & si quempiam in vivo, & foro, Deum blasphemantem audieris; accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, nè recuses: ipsius faciem alapâ percutere, contere os ipsius, percussione manuum tuam sanctifica. S. Chryost. hom. 1. ad pop. Antioch.

§. IV.

Motiva abstinendi.

NOTat Genebrardus ad initium explanationis c. 1. Cant. quod in toto Canticorum libro Nomen Dei non ponitur: quia dilecta anima tantam puritatem, & reverentiam, agnoscebat in sanctissimo Dei nomine; ut nec ore illud pronuntiare auderet. Sylv. in Luc. 1. q. 11.

Similis ero altissimo. Jl. 14. 14. Cur non ait: similis ero Deo? Cavit perfidus labiis peccantibus Deum nominare. S. Chryl. in Pl. 13. Sustulit Deum, & posuit altissimo, erubescens eum, quem jam negaverat. Non audet dæmon inter offendendum divini Nominis meminisse; & homo non vereatur foetidâ linguâ, pollutis labiis, diviniissimum nomen passim eloqui? utinam vel à diabolo discerent homines nomen divinum vereri; & absque magno timore, & reverentia, ac circumspicione, nec illud extremis tangerent labiis. Bæza t. 3. l. 14. c. 6. §. 7.

Nunquam audent dæmones JESUM nominare, sine honoratis titulis; aut JESUM Nazarenum, aut filium David, aut sanctum Dei, vocantes: ut vel hinc erubescant Fideles, qui Deum, & Christum, sæpe nominant, sine honorifici vocabuli memoriâ. Idem t. 2. lib. 7. cap. 1. §. 6.

Linguam blasphemiam nè pollutis; quin laudis organum efficit, quæ in hunc usum facta est. B. Theodoret. f. 10. de Provid. Dei.

TITULUS VIII.

BONI.

§. I.

Pauci dantur.

Ex Veteri.

Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste cepit invocare nomen Domini. Gen. 4. 26. Nota hic cum Olea-

stro, quod Genesis ista antè v. 19. &c. multos memorat, qui fuerunt rerum diversarum inventores, quæ voluptati hominum magis, quam utilitati serviunt; quorum author Thubal, qui *fuit pater canentium cisbarâ, & organo;* ut Tubalcaim *fuit malleator, & faber in cuncta opera aris, & ferrâ.* Oleaster: quemadmodum filii Cain musica instrumenta, qui-

bus

bus deliciarum, & artem alendorum gregum, quâ opes auferent, & arma, quibus inter se dimicarent, inueniunt; ita filii Seth modum invocandi Deum. Sed hoc interest inter huiusmodi malorum & bonorum inventores; quod bonorum pauci sunt, malorum verò in infinitum creverunt. Did. Niss. ferm. de siti Chr. 9. 5.

Quid si inventi ibi fuerint decem?
Gen. 18. 32. & Jer. 5. 1. dicit, pro uno iusto Ierolyma reperiendo non puniendam. Quare igitur à Judæis credentibus, divinamque Legem habentibus, unum tantum; ab his verò Infidelibus, & idololâtris, decem exposcit? ostendit, inter Judæos minus iustitiam, quam inter Ethnicos esse. An hæc miseria inter Christianos inveniatur, testes tot fraudes, usuræ, depressiones pauperum, rapinæ, furta &c. Diez. D. Sexag.

Erii anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo virventium apud Dominum Deum tuum. 1. Reg. 25. 29. Probi unum conficiunt fasciculum; quam multi ad ignes fasciculi improborum! Matth. 13. 30. *colligite primum Tizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Velloso in Judith c. 5. Paracet. 15.

A paucis de terra divide eos. Psalm 16. 14. Per paucos iustos intelligit communis interpretatio. Sylv. in Act. 6. q. 9. Paucitas iustorum tanta, ut per antonomasiam pauci appellentur. Mendoza t. 1. in 1. Reg. Annot. 4. lect. 2.

Cum exorti fuerint peccatores sicut sanum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. Pl. 1. 8. De iustis autem paulo post: *iustus ut palma florebit.* v. 13. Quid causæ, quod peccatores cum fœno, cum palma iustos, componit? Respond. Joannes Cluniac. l. 90. quia fœnum faciliè multiplicatur; multum enim crescunt mali. Palma vix invenitur; & si inveniatur, vix floret, nisi post diuturnum tempus. De copia magna rei dicimus: habet copiam huius rei quantum fœni. Sed *iustus ut palma florebit.* Non dicit iustus, sed *iustus ut palma*, quæ, ut ajunt, centesimo anno primos fructus edit, quando totum sæculum antè feriata fuit. Sic fumus homines, ad mala fœnum, palma ad bonum. Did. Niss. D. 3. Pasch. §. 3.

Si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati. Sap. 15. 2. Dicuntur boni esse computati, sicut dilecti, & electi; & bene possunt computari, quia pauci. S. Bonav. hic.

Ecce Dominus auferet à Jerusalem fortem, & dabo pueros eorum principes eorum. Jd. 3. 1. 4. Fortis unus auferetur, & dantur multi pueri; scilicet non ætate, sed insipientiâ, & ignorantia, qui semper in magno numero sunt Sylv. in Act. 6. q. 9.

Circuite vias Jerusalem, & aspiciete, & considerate, & querite in plateis ejus; an inveniatis virum facientem iudicium, & propitius ero ei. Jer. 5. 1. Id est, civitati Jerusalem. Nota, quod verba repetat idem significantia: ut exaggeraret; licet plurima diligentia adhiberetur,

neminem tamen iustum reperiendum. Diez D. Sexag.

Quomodo sedet sola civitas. Th. 1. 1. In sessione dejectione intelligitur, quia stare per potentiam solita fuerat. Plena erat, quantum ad multitudinem; sola, quia adiutorium Dei non habebat. *Civitas plena populo:* quia multi sunt Christiani numero; pauci merito, S. Bonav. hic.

EX NOVO.

Quam angusta porta, & arcta via est, qua ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Matth. 7. 14.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. 14. Abbas Pinusius candidato monasterii inter alia documenta: considera, te de paucis & electis effectum, & nè exemplo, ac repore multitudinis refrigeras; sed vive ut pauci. Cassian. l. 4. c. 38.

Turba te comprimunt. Luc 8. 45. & dicit, *quis me tergit?* Christus premebatur, & ab una, quæ virtutem ejus suscepit, se tatum fatebatur. S. Bonav. in 1. Thren.

Vidi mortuos, & libri aperti sunt; & alius liber apertus est, qui est liber vitæ. Apoc. 20. 12. Hinc patet, bonos viros adeo paucos esse, ut uno claudantur libello. Velloso in Judith. 5. paræn. 15.

EX PATRIBUS, & ALIIS.

Verbò quidem Christiani sunt multi, moribus autem, ac vitâ, admodum pauci. S. Chryf. tom 6. ferm. de pseudopropheta.

Præstantior, qui paucorum similis fuerit, & non plurimorum. S. Ambr. l. de Cain & Ab. c. 2. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur; atque utinam hæc omnes essent, quod pauci sunt, de quibus dicitur Matth. 22. *multi vocati &c.* S. Hier. ep. 43

Tanta est raritas bonorum, ut penè unus esse videatur. Salvian. l. 5. de Provid. div.

Ecce in quid redacti sumus; ut beatam fore Ecclesiam judicemus, si vel tantum in se boni habeat, quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc esse plangimus criminolam. Id. l. 6. de Prov. div.

§. II.

Boni pauci, imò vel unus, prævalent multis.

EX VETERI, & NOVO.

Faciã te in gentem magnam. Gen. 12. 2. Ubi observat Philo Alex. lib. de migr. Abraham, non multam, sed *magnam*, dixisse; quasi non multitudo, sed magnitudo compenset. Mendoza in 1. Reg. 18. Deus, cum multos haberet filios, tamen tantum Abraham, Isaac, & Jacob, dici voluit. Oleast mira est dilectio, quæ Deus iustos diligit; ut summè delectetur vocari Deus illorum; & malit esse Deus paucorum bonorum, quam omnium malorum.

Nume-

Numeravit (Abraham) expeditos vernaculos suos 318 Gen. 14. 14. Abrahami delectus virtute copiosus, licet numero exiguus. S. Ambr. l. 1. de Abr. c. 3. *numeravit 318.* ut scias, non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum: eos enim adsciscit, quos dignos numero Fidelium iudicavit, qui in D. N. J. C. passionem crederent. Fidei ergo merito Abraham vicit, non populoso exercitu. Naxera in Jos. 10. §. 18.

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Gen. 27. 27.

Ingradies tu, & seniores Israel, ad Regem Egypti. Ex. 3. 18. Et nihilominus postea *ingressi sunt Moyses, & Aaron.* Ex. 5. 1. Ubi sunt illi seniores? Cajet. loco seniorum subrogatus est Aaron ad legationem. Quasi ille aequivalet pluribus senioribus. Mendoza in 1. Reg. 15.

Iste est Moyses, & Aaron. Ex. 6. 27. Duces tanti itineris: qui quasi duo fulmina belli, Pharaonem, omnesque hostes, prostraverunt; qui quasi sol, & luna, Israellem illustrarunt. Ecce quantum potest unus, alterve Dux! unus, alterve bonus; Quid non efficit unus Moyses, unus Josue, unus David, Elias, Elisæus, Daniel, Paulus, Gregorius &c. Corn à Lap. hic.

In unum Moysis serpentem plurimi dracones armantur, Ex. 7. 10. 12. sed *devoravit virga Aaron vitas eorum.* Numeris virtus prævalebat. Naxera in Jos. 10. §. 18.

Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos &c. hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt. Deut. 33. 9. Moyses de singulari numero transit ad pluralem, locutus ad tribum Leviticum. Ac si vel unus puer carnalibus parentum affectibus propter Deum renuntians multorum virorum instar haberi videretur. Mendoza in 1. Reg. 3.

Donec sterilis peperit plurimos. 1. Reg. 2. 5. In uno, quem habebat Anna, Samuele plurimos reputabat. Trecenti Gedeonis quantum victoriam pepererunt? Judic. 7. 22. *Non ex his quia tu unus pro decem millibus computaris.* 2. Reg. 18. 3. Abul. quia ipse manens in urbe tantum ageret orando, sicut decem millia de euntibus ad bellum pugnando. *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impij.* Eccl. 16. 3. *Quomodo persequatur unus mille, & duo sugent decem millia.* Deut. 32. 30. *Minimus erit a mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Is. 60. 2.

Pater mi! currus Israel, & auriga ejus, 4. Reg. 2. 12. Hebr. *currus Israel, & equites ejus.* Hoc est: hic solus oratione suâ tam fortis est, ut pro exercitu integro valeret. Hinc Deus minatur Is. 3. *ecce Dominator auferet validam & fortem, & prudentem eloquij nesciet.* Sept. *auferam gigantem, & fortem.* *Facta est quasi navis institoris.* Prov. 31. 14. Mulier hæc comparatur non uni navi, sed navibus in plurali, ut habent Hebræa. Puta classi integræ, quæ ingentem mercium copiam affert: quia ipsa, licet una, instar est multorum; ac per se, perque filios, & ancillas, plura conficit, quam multi simul juncti in suis familiis efficiant. Corn. à Lap. hic.

Circitas parva, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus &c. Eccl. 9. 14. *inventusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam.* v. 15. S. Greg. Thaum. sic vertit: parvam civitatem à paucis habitatam, magnam, & frequentem existimem, si vel pauperem unum sapientem civem habeat. Corn. à Lap. hic.

Leetulus iuxta floridus. Cant. 1. 15. q. d. Non amplum est grabatulum nostrum, fateor; verum tantam exhalat suavitatem, quantum ne hortus quidem plurimis floribus confitus. Did. Niss. D. 23. Pent.

Hortus conclusus sicut mea. Cant. 4. 12. Verè quidem assimilari horto amœnissimo, & fecundissimo; quia tot habes virtutum arbores &c. sed tamen in singulis es hortus conclusus: quia te ipsam, cunctaque bona tua, ex affectu humilitatis concludere, abscondereque satagis; ne hortum ingrediatur pes superbiae. Lud. de Ponte hic. Exh. 29. §. 2.

Electus ex militibus. Cant. 5. 10. Arab. & Sept. *ex myriadibus.* Hebr. *præ myriade;* id est, præ decem millibus. Pro electus Hebr. *Dagul, amestans, excellens, & instar vexilli reliquis eminent.* Corn. hic.

Decora sicut Jerusalem. Cant. 6. 3. Vocat Christus Ecclesiam decoram sicut Jerusalem, quia omnium virtutum, & gratiarum, ornamenta in illam congestit. Lud. de Ponte hic. l. 9. Exh. 9. §. 2.

Equitatus meo in curribus Pharaonis assimilavit te, amica mea. Cant. 1. 8. q. d. tu, o Ecclesia mea, assimilaberis à me Equitatus meo, quem opposui equitatus, & curribus Pharaonis; cum pro Moyse, & Hebræis, pugnans eos profligavi, & in mare demersi. Porro equitatus Dei fuit angelicus. Corn. à Lap. hic.

Simile est regnum calorum fermento. Matth. 13. 33. Theophyl. fermentum dicit Apostolos: sicut enim fermentum, cum parvum sit, totam farinam in se transfert; sic & vos totum Mundum transformabitis, licet pauci sitis. Escob. t. 6. parab. Chr. obs. 3. Si duodecim homines, putà Apostoli, totam ferè farinam orbis fermentarunt; animò versa, quanta sit nostra malignitas, & ignavia; qui, cum jam innumeri simus, has gentium reliquias convertere non possumus, qui vel Mundis mille satisfacere deberemus. S. Chryl. hom. 42. in Matth.

Ex Patribus, & alijs.

Unus justus Deo pro pluribus habetur. Denique & scriptum est: *per unum sapientem inhabitabitur civitas.* Eccl. 16. 5. & unus justus pro toto Mundo reputatur. Orig. in Num. hom. 21.

Quid mihi opus multitudine? Hoc & in bello viderit quis: melius esse decem peritos belli, & decem viros, quam innumeros imperitos. S. Chrysol. hom. 24. in Acta.

Orbis conditor unius hominis Deum se dicens, non concludit, & abbreviat, cum Patriarchæ appellatione suum dominium. Ita, inquit, feci mihi eum proprium, ut apud me reputetur tantis, quanti alii homines. S. Chryl. hom. 52. in Gen.

Edu.

Educite in bellum centum myriades, & unum Sanctum : scimus, quis plura operetur. Multitudo, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his, qui non sunt. Non videtis, quod melius sit habere unum lapidem pretiosum, quam mille obolos? Quid mihi cum multitudine? quae utilitas? Nulla; sed potius alius damnum. S. Chrysostomus hom. 11. in Acta.

An tu universos Chanaanos uni Abraham antepones? an Sodomitas uni Loth? an Madianitas uni Moyse? S. Greg. Naz. or. 32.

Ubi sunt, qui Ecclesiam multitudine definiunt, gregemque exiguum aspernantur? arenam in pretio habent, & Mundi lumina contumeliis afficiunt; conchas aggerunt, & margaritas contemnunt: nec enim sciunt, quanto arena, & conchas, stellas, perspicuasque gemmas, multitudine superant; tanto vicissim haec illis, & pretio, dignitateque, praestare. Id. or. adv. Arri. Sibi responsum hoc habeant, qui dicunt, quoniam plures crederent, si martyria non essent. Sed praestantior est fortitudo paucorum, quam remissio plurimorum. S. Ambr. ep. 77.

Ecclesia contemplativa, & anima, non differunt; nisi quod anima totum habeat in se, quod Ecclesia in multis. S. Bonav. serm. 23. hexam.

Omniem hominem Paulus exhibebat Deo. S. Chrysost. in 1. Cor. 9. q. d. unus Paulus erat omnis homo perfectissimus, & instar omnium hominum: utpote qui in se exprimeret omnem virtutem, & perfectionem, quae in omnibus hominibus simul sumpsit inveniri potest. Corn. a Lap. in Eccl.

Philo l. de Decal. quaerens, cur Deus in singulari dicat? *non occides &c.* respondet: quia quicumque Deo pareat, & legibus, aequatur frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imò universo Mundo.

§. III.

Boni prosunt malis.

Ex Veteri, & Novo.

Si decem. Gen. 18. 32. Si, ubi decem tantum iusti essent, omnes inhabitantes Deus salvare promisit; ubi non decem, & viginti, neque bis totidem solum, sed multo plures sunt, Deum cum omni diligentia colentes; quomodo non oportet bene sperare, & de communi nostra omnium salute considerare. S. Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch.

Quia non potero facere quidquam &c. Gen. 19. 22. Plato: Cum Deus civitati beneficium praestare vult, viros bonos ei praeducit; cum vero civitati calamitatem immisurus est; auferit ab ea viros bonos. Sic ante everisionem Sodomae Loth eripitur. Quemadmodum civitas munita subverbis muris facile capitur, eundem in modum & hi (Sodomitae) oratione iusti huius (Loth) destituti, pariter omnes deleti sunt. S. Ephrem in Loth.

Polyanib. Sacr. Tom. I.

Benedixitque Dominus domui Aegypti propter Joseph. Gen. 39. 5. Factum est hoc translatio Joseph de terra Chanaan in domum Putypharis. Mendoza in 1. Reg. 3. Vide, quantum fieri debeat confortium iusti, quando etiam idololatra Dei benedictionem assequitur ex vicinia Josephi. Olim domus Laban benedicta propter Jacob. Alvarez Jos. ill. illustr. 18.

Tantum valet iustus, ut ejus causa plurimos peccatores Deus ferat, ut patet in Moyse Ex. 32. 34. *Et Deus Airake ind e vult &c.* Gen. 18. 26. Saepè Deus iustos à Mundo auferit, nè pro peccatoribus intercedant. Civibus Sodomitis sustulit Loth. Gen. 19. 22. ut eos combureret. Noe inclusit in arcam Gen. 7. ut Mundum mergeret. Volens Deus evertere Jerusalem propter ejus peccata, voluit, ut prius Rex Josias obiret. 4. Reg. 22. 20. Non diu potest stare domus, cum ab eo columnae auferuntur, quae eam tenebant. Diez fer. 6. post D. 4. Quadr.

Ascendam ad Dominum, si quò modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. Ex. 32. 30. Ascendit, exoravit, inflexit. S. Cyrillus: Deum indignantem sua virtute, & germanitate, quodammodo ad ignoscendum compulit. Cernis, quomodo unus ad Deum flectendum propter subjectionem, & obedientiam, pro omnibus suffecerit. Arcones in Jf. 1. v. Discursu 4.

Locutusque Dominus ad Moysen, & Aaron, ait: Separamini de medio congregationis huius, ut eos repente disperdam. Num. 16. 24.

Benedictione iustorum exaltabitur civitas. Prov. 11. 11. Proprie, & genuine, benedictio est boni precatio. q. d. Cum iusti bene precantur civitati, Deus preces eorum exaudit, ac civitati bene facit. Sic Loth fugiens à Sodomis in Segor, eandem ab incendio, cui pariter destinata erat, sua oratione, & benedictione, liberavit. Genesis 19. 21. Sic DEUS servavit Jerusalem ab excidio Sennacherib, ob preces Jsaia, & Ezechiae. Jf. 37. 16.

Noe in tempore iracundiae factus est reconciliatio. Eccl. 44. 17. Cum Deus iratus vellet totum humanum genus perdere Adeoque, ut ait Naz. Noe secundi Mundi fuit pater. Vide, quantum possit coram Deo unus eminenter sanctus. *Ideo dimissum est reliquum terra.* vs. 18. Corn. hic.

Et sepivit eam. Jf. 5. 2. Pintus per sepe accipit viros sanctos, qui populo pro muro sunt apud Deum, quibus ablatis conculcatur populus. Corn. hic.

Iustus perit, & non est, qui recogitet corde. Jf. 57. 1. Oleast. ad c. 5. Gen. est aliud, quod citatis Jsaiae verbis discere possis: esse scilicet evidentissimum signum punitionis Mundi, iustorum ablationem. Neque hoc Mundus cogitat; sed putat eos casu esse sublato. Similiter quid iusti Mundo valeant: nam sicut nihil est Mundo, & patriae, perniciosius impiis, ita nihil utilius iustis. Ramirez in ep. Chr. ep. 5.

Z

Qua-

Quasi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam, & non inveni. Ezech. 22. 30.

Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa. Luc. 1. 58. Vocat Evangelista hunc partum misericordiam: magna quippe, & excellens misericordia est Domini, in Mundum justos mittere. Stella in Luc.

Donavit tibi Deus omnes. Act. 27. 24. Propter S. Paulum donata est vita omnibus cum ipso navigantibus; quos omnes tempestas absorbuisset, nisi ipse praesens fuisset. S. Chrysofost, in morali: si navigantes, naufragium sustinentes; si & vincti, per Paulum, servati sunt; cogita, quid est, esse virum sanctum in domo: multae enim tempestates etiam nobis incumbunt his multo graviores; sed potest Deus etiam nos donare, modo credamus sanctis, sicut illi; si fecerimus, quae praecipunt.

Ex Patribus, & aliis.

Vehementer sanctis opus est: servant enim urbes; & regiones, clade impendente, liberant; iram Dei, quantumvis ferventem, vitae claritudine retundentes, & impetus ejus iracundiae in curfantes nos, quasi retrahentes. S. Cyrill. Alex. in Amos n. 61.

Medulla hujus Mundi sunt Sancti. Medulla, quamdiu in arbore fuerit sana, floret; cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur. Sic & quamdiu sunt fideles, stat iste Mundus. Auth. imp. oper. in cap. 1. Matth.

Consuetudo misericordis Dei est, honorem hunc dare fervis suis, ut propter eos salventur & alii. S. Chyl. hom. 4. in Gen.

Bonos persequuntur mali. Vide tit. Peccatorum.

§. IV.

Varia de Bonis, & Bonitate in genere.

Dixit Deus: fiat lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona. Gen. 1. 3. 4. Non pulchram eam vocat, sed bonam: id enim est, quod in rebus aspicit, & quod ejus oculos trahit, rei bonitas. Octavian. in Eccl. 15.

Ejiciens daemonium &c. Luc. 11. 14. Deus permittit, ut nobis eveniant mala, quod aestimemus bona: Quis homo bonam valetudinem, quam in praesens fruitur, pro dignitate, vel aestimat, vel curat? cum vero morbus illum sustulit, quantum votis expectit; jacturamque ejus quam acerbè sentit. Hinc Hier. quid boni habeat salus, languor ostendit. Did. Niff. D. 3. Quadr. §. 3.

Bonitas finxit hominem de limo. Tertull. l. 2. adv. Marcion.

Non potest bonus non esse, qui bonis placet: nec minus validum argumentum mihi videtur, quod bonus sit, si malis è regione displiceat. S. Bern. ep. 248.

TITULUS IX.

BONITAS DEI.

§. I.

Communicativa sui.

Ex Veteri, & Novo.

Factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Chald. *In animam loquentem. Formavit Deus hominem de limo terrae.* Hebr. *Psalmavus Deus hominem pulverem, vel lutum, de terra. Insufflavus.* Ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quam homini insufflare. Cum ipsum flatum, animamque, Deus homini communicavit, seipsum communicavit, quasi suum in illo cor indidisset. Corn. hic.

Conceptum sermonem tenere quis poterit? Job. 4. 2. Ea est natura verbi, ut omnia tentet, dum se prodat. Verbum divinum vehementissimè cupiebat hominibus communicari. Baeza l. 2. c. 1. §. 2.

Si quis sitis. Joan. 7. 37. Alia est sitis Dei, alia creaturarum. Sitis creaturae est, desiderium recipiendi, quia mendicitate premi-

tur; sitis verò Dei, est desiderium se effundendi: quia, cum sit plenus omni bono, & redundans; se communicare desiderat. Sicut enim, si os maximi fontis obstrueret, multaque congeries aquae accederet, exireque conareretur, meritò diceret, fontem sitire se effundere; sic divina Bonitas, &c. Obstruitur autem hic fons peccato. Olor. fer. 2, D. Pass.

Ex Patribus, & aliis.

Cujus bonitatis totus testis est Mundus; quem non instituisse, nisi bonus fuisset. Tertull. l. de Trinit. Quare fecit Deus hominem? non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam; sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia. Propter hoc exquirat Deus ab hominibus servitutem; ut, quoniam est bonus, & misericors, benefaciat eis, qui perseverant in servitute ejus: in quantum enim Deus nullius indiget, in tantum homo indiget Dei communiōe. S. Jreg. l. 4. c. 28.

Bonus

Bonus cum sit, nullius rei invidia tangatur, unde & nemini esse invidet, sed omnes esse vult; ut habeat, erga quos benignitate uti possit. S. Athanas. l. contra gentil.

Ut Dionysio placet, primum Dei nomen Bonus est. S. Jo. Damas. l. 1. Orthod. fid. c. 12.

Incredibili ipsius bonitate factum est, ut ex his rebus, quae naturae nostrae conveniunt, nominari voluerit; ne alioquin cognitionis ipsius profusus expertes simus. Id. ib. c. 15.

Non ob aliam causam creavit hominem, nisi quia bonus est. S. Greg. Niss. l. de creat. hom. c. 17.

Non ob propriam necessitatem, sed ob solam benignitatem, benignus omnia condidit. B. Theodoret. in Pl. 135.

Quemadmodum ignis est calefacere, & solis illuminare; ita etiam eius est benefacere. S. Chrysost. in Pl. 47. Si queras, quis omnia fecerit? respondebitur, Deus. Si queras, per quid? ecce habes, per ipsum scilicet Verbum: omnia per ipsum facta sunt. Si interrogas, quare? respondebitur, quia bonus est. S. Rupert. in c. 1. Joan. l. 1.

Miseri cordi, & volenti omnibus benefacere, magna occasio est ad miserendum, videre in nullo participem bonitatis suae. Theophyl. in Luc. 17.

Divinae Bonitati hoc proprium singulariter inesse cognoscitur, ut solitaria omnino esse non valeat. Quod habet, absque remunerationis intuitu, praestat abunde. S. Laur. Just. opusc. de inter. consl. c. 4.

Ideo Deus cuncta creavit, ut in omnem creaturam rationalem Christum diffunderet, & dispenseret, ineffabiles gratias suas; sicut & ipse pro omnibus suscepit gratias a sibi unita persona Dei. S. Bern. Sen. l. 59.

Bonitati minime satis erat, suam ipsius solum contemplatione moveri; sed bonum diffundi, ac propagari oportebat; ut plura essent, quae beneficiis afficerentur. S. Greg. Naz. or. 42.

§. II.

Bonitas DEI punit invita; difficilis ad poenas.

Ex Veteri.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17. Cur Dominus terram, non Adamum, maledixit? Videtur his verbis indicari, patris irati simul, & peramantis, ingenium. Fertur interdum ira percussus contra filium, quem aliquod deprehensum delicto tenet, expedit virgam, aut quidquid in manibus tenet. Sed tamen totus ille jactus in terram recidit, intacto filio, & illaeso. Fernand. hic.

Eruntque dies illius 120. annorum. Gen. 6. 3. S. Chrysost. hom. 25. in Gen. quare, cum dixerit Dominus, centum viginti anni erunt dies eorum, antequam implerentur anni promissi, universale introduxit diluvium? Respond. etiam hoc suae misericordiae maximum est argumentum.

Polyanth. Sacr. Tom. I.

& indicium. Nam quoniam vidit quotidie incunctabiliter eos peccare, & non solum nihil ex sua indicibili longanimitate proficere, sed etiam incrudescere ulcera; propterea succidit tempus, ne majori poena se obnoxios redderent. Ad hanc misericordiam spectat illa tam festina Adami de paradiso expulsio: nam, mox ut peccavit, *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.* Gen. 3. 23. *Adhuc es: eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Pl. 77. 31. *Adhuc esset in ore regis, vox de caelo ruit.* Dan. 4. 28. Velox poena Dei in ejus filium Balthasarem. Dan. 5. 4. 30. *Hac nocte animam tuam repente a te.* Luc. 12. 20. Hae Dei misericordia est: ubi poenitentiam sperat, cunctatur; ubi contumaciam praevidet, festinat. De hac Rom. 2. 5. *Secundum duritiam tuam, & impenitentem cor, thesaurizas tibi iram in die irae.* Mendoza in 1. Reg. c. 15. sect. 2. Abul. q. 11. in c. 6. Gen. dicitur Deus doluisse, quia puniendus erat totam multitudinem generis humani; ideo quasi compatiens dolebat de malo, quod eis illaturus erat. Quemadmodum parturiens, illud, quod concepit, non sine sensu doloris emittit; & tamen dolere mavult, quam non emittere, quod concepit: sic Deus, non sine sensu pietatis profert sententiam iudicii, & tamen, victa pietate, miseras in malorum mavult videre, quam non proferre, quod, iustitia declante, concepit. Rupert. in Gen. c. 15.

Tactus dolore cordis intrinsecus. Gen. 6. 6. Hebr. *Et contristatus est in corde suo.* Quia describitur poenitudine, & iracundia, commotus, & velut invitatus ad puniendum. Idcirco vehementi quodam dolore angitur dicitur: ut intelligamus, Deum ad benefaciendum, quam ad corripiendum, longe propensorem; si quando punit, non nisi compulsus, & irritatus nostris sceleribus, & quasi dolentem, & ejulantem, expedire virgas; in manu supplicium, in oculis lacrymas, in corde dolorem, praefereudo. Id. hic.

Potrans ramum olivae. Gen. 8. 11. Diluvium solam olivam non eradicavit.

Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Gen. 11. 7. Ecce divina descensio ad impediendum, ne tantum procedat, quantum fuerat ante praevium. Providentia noscitur esse descensio, ne mala incepta progrediantur in amplius; misericordiae descensio ita praenoscitur, ne malum initium ultra procedat; ne iudex aliquem inveniat, in quem puniendum deflexit. Sim. de Cass. l. 4. c. 9.

Clamor, Sodomorum venit ad me. Gen. 18. 20. Pulchre, clamorem in se habere, dixit peccata. Gravis absque dubio peccantium clamor est, qui a terra ascendit in caelum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet quia caeli aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum impleri, ut non differatur poena peccatorum. Et vere clamor, & grandis clamor, est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccatores punire cogatur. Salvian. de prov. Div. l. 1. de Cain.

Venerunt duo angeli Sodomam vespere. Gen. 19. 1. Ubi gratia largienda est, Christus adest; ubi exercenda severitas, soli adsunt ministri, deest Iesus. S. Ambros. de Abraham 1. 1. c. 6.

Filius meus primogenitus Israel. Ex. 4. 22. Deus, uti pater hominum, tardè procedit ad iram. Leges condit Ex. 20. 3. Sed nihil hic pœnarum contra peccantes. Levit. 20. 8. Autem urget: *custodite præcepta mea.* Audit filius sæpius morte moriatur. Nihil in Exodo, aut parum, minarum; multum in Levitico. S. Cyrill. Alex. 1. 11. in Levit. primum provocari ut filius; quodsi, ut filius obediens esse non vis, contemptor plesteris ut servus.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contempnit me, erunt ignobiles. 1. Reg. 2. 30. Cajet. hic: vides differentiam? nam ait, honorantes me honorabo; & non subjungit: contemnentes me contempnam: ut propensior ad nostrum bonum Deus describatur, quam ad malum pœna. q. d. iusto, deferenti mihi honorem, ego referam. Glorificabo eum; at, cum impii tolerant pœnas, non ait, à se eas inferri; sed, *contempnentur*, inquit: ipsi namque constant sibi supplicia. Did. Nil. fer. 6. post D. 2. Quadr.

Tu fecisti omnes terminos terra; astatem, & ver, tu plasmasi ea. Ps. 73. 17. Hugo Card. numquid non Dominus simul autumnum fecit, & hyemem? quare ergo plus placuit de illis, quam de his? Respondet: autumnus, & hyems, ejus justitiam designant; ver, & æstas, ejus misericordiam: unde dicitur ista facere: quia cum facit misericordiam, proprium opus facit; cum autem facit justitiam, alienum est opus ab eo.

Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ps. 77. 31. Dominus in celo sedes ejus. Ps. 10. 5. Quomodo ergo, ut peccatores in terra sternat, ira ejus ascendere dicitur, & non descendere? Indicat Deus, naturæ suæ repugnare supplicia, quæ coactus irrogat: qui enim ascendit, laborat, & corporis mole reluctante, progreditur. Utque scias, non festinare ad pœnas Deum, iram suam non è celo ruisse super peccatores dixit, sed ascendisse. Oliva t. 2. Strom. hic.

Qui producit ventos de thesauris suis. Ps. 134. 7. Sermo hic procul dubio est de ventis cientibus tempestates; nam de internectione, & tonitruis, loquitur. Hos autem in thesauris suis conclusit Deus; ut se declaret parcum, & tardum in pœnis. Nihil enim cunctantius proferimus, quam quæ in arcis consignavimus; nolumus proflare facile, quæ reponimus in thesauris. Huc facit, quod paulò antè præmiserat v. 7. *educens nubes ab extremo terra.* En quò retruserit instrumenta nocendi, cunasque fulminum. Nostris sceleribus cœlum inficimus, nubesque densamus. Id. 1. 12. Strom. hic.

Deus mortem non fecit. Sap. 1. 13. Peccatum enim à DEO quasi invitò mortem extorsit: Deus enim sicut gaudet de hominum vita, & felicitate; ita dolet de eorum morte, & miserâ. Id significant ejus voces Jf.

1. 24. *heu! consolabor super hostibus meis.* Corn. hic.

Radet Dominus in novacula conducta. Jf. 7. 20. Quasi Deus nullum habeat suæ puniendi instrumentum. Mendoza in 1. Reg. 3.

Indignatio non est mihi; quis dabit me spinam, vel veprem, in pralis? Jf. 27. 4. q. d. quis dabit, ut tam electa vinea sim in spinas? quis me faciet illi aculeatum, oblevia ejus peccata, ut eam conculecem, & succendam? q. d. Nemo. Nota. Deum quasi vim sibi facere, dum punit. Unde S. Hier. sic vertit: *quis me faciet durum, atque crudelem, ut vincam naturam meam?* Corn. hic.

Alienum opus ejus Jf. 28. 21. dum peccatoribus supplicia infligit.

Ut facias opus suum. Jf. 28. 21. S. Hier. opus proprium Dei, misereri, & parcere, condonare. Non suum, sed alienum est, irasci, punire.

Expectat Dominus, ut misereatur vestri. Jf. 30. 18. Grandis clementia Dei! ut expectet nostram pœnitentiam; & donec nos à vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum; nè ferire cogatur. S. Hier. hic.

Ecce furor meus, & indignatio mea, conflatur. (S. Hier. legit, *stillavit*) *super locum istum.* Ec. Jer. 7. 20. Non ait, effusus est furor meus super locum istum, sed *stillavit*; ut moderatam pœnam significet. S. Hier. hic.

Ecce misi am vobis serpentes regulos. Jer. 8. 17. Hoc est, concitabo in vos chaldaeos, & Babylonios; statim subdit: *dolor meus super dolorem, in me cor marens.* v. 18. Id est, meus dolor super dolorem vestrum. Mendoza in 1. Reg. 1.

Ecce Dominus egredietur de loco suo. Michæ 1. 3. S. Hier. Deus egreditur de loco suo, cum punit. Dei enim proprium est misereri, & parcere. Locus ergo, & solium Dei, est clementia. Cum ergo peccatis irascitur, & flagellat, videtur de loco suo egredi, ac personam clementiæ deponere, & alienam induere. Corn. hic.

EX NOVO.

Sic erit in consummatione sæculi. Matth. 13. 40. Euthym. per se quidem seminat, ostendens quòd sibi proprium est beneficia præstare; per alios verò supplicium inferi: demonstrans, quòd sit alienum à se punire. Did. Nil. 1. 8 c. 1.

Tibi dabo claves regni cœlorum. Matth. 16. 19. Dixit, qui de se ait Apoc. 1. 18. *ego habeo claves mortis & inferni.* S. Justinus ep. ad Zenam: Si in hominum potestate esset situm, gehennæ quoslibet addicere, totus Mundus exhaustus esset eorum sævità.

Unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram. Matth. 20. 21. Non dicit sinistram tuam: per dexteram beneficia, per sinistram pœna, & rigor justitiæ, intelligitur. Sylv. Addit Evang. Matth. 20.

Aræ facta est continuò siculnea. Matth. 21. 19. Nota ingentem Domini misericordiam, quam universo humano generi ostendit; suam verò justitiam

in arbore, & re insensibili. Theophyl. non in hominem, eâ utens, sed in arborem, utique misericors. Sylv. Addit. in Evang. Math. 21. Observat hic S. Chrysof. de Laz. conc. 1. Christum, eum omnibus benefecisset, neminem tamen punivisse.

Auferetur à vobis regnum Dei. Matth. 21. 43. Jo. 5. 22. *neg. Pater judicas quemquam, si d. omne iudicium dedit Filio.* An Filius hoc iudicium accipiat? non videtur acceptare, dum ait Jo. 8. 15. *ego non iudico quemquam.* Sic videntur, Pater, & Filius, de iudicio in alterum rejiciendo, misericordiam quodammodo contendere. Cum ad iudicandum venerit, universo orbi aperiet, se quasi violenter iudicariam potestatem exercere: *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Matth. 24. 29. Cur tantus universi luctus? Palatius: si tantis tenebris orbis tegitur, ubi iudex venit iratus; non id igitur opus est iudicis; adeoque, si lubens, & gaudens, veniret ad poenam, rideret orbis, plenaeque cuncta gaudii essent. Escob. t. 6. Chr. parab. Obs. 5. In die iudicii sol, luna, & stellæ, lugebunt, conformantes se Domino; qui non venit hilariter, neque ex malorum poena cupiet voluptatem. Did. Stella de contempt. vanit. p. 3. c. 88.

Ece prandium meum paravi &c. Matth. 22. 4. Paterfamilias seipso quidem paravit convivium; ministris autem supplicium exercendum commisit: *ligatis manibus &c.* v. 13. Id. ib.

Mediâ nocte clamor factus est. Matth. 25. 6. Putavit aliquis, exoptulari reverenter cum ipso posse, quod intempesta nocte veniat, excitatum virgines, quando sopor gravissimus est; nonne opportunior ad vesperum venisset? sed vertatur querela in gratiarum actionem, & piensissimam ipsius providentiam laudemus: nam si eò tempore gravior somnus occupat, minorem poenam merebitur, qui tunc incurius dormierit, quam qui cum die oculos clauserit. Did. Niss. Sabbatho post Cin.

Statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Matth. 25. 33. S. Bern. l. 2. de asc. sedet ad dexteram, habens in dextera misericordiam multam nimis, & iudicium multum nimis, in dextera aquam, in sinistra ignem, immobiliter tenens. Christus ex se miseretur, & benefacit; nobis autem provenit, ut puniat, & damnet. Sylv. in Apoc. 1. v. 5.

Fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1. 51. q. d. ad superbos dispergendos, & dissipandos, opus fuit, ut æternus Pater brachio suo, hoc est, Filio suo, potentiam, sive violentiam inferret. Mendoza in 1. Reg. 3.

Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Luc. 12. 20. Non dixit, repeto: quia suâ clementiâ indignum iudicabat, supplicia exercere; sed repetent, quia illa ministris, id est, Angelis, sive bonis, sive malis, exercenda relinquebat. Mendoza in 1. Reg. 13.

Flevit super illam. Luc. 19. 41. prævidens ejus excidium.

Ecce sanus factus es; jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat. Jo. 5. 14.

S. Chryf. non tibi, dicit, quid deterius faciam; sed nè deterius tibi aliquid contingat. Salvian. 1. 8. de provident. ipse sibi parat peccator quisque, quod patitur: nos calamitatum nostrarum auctores sumus. Nos ergo adversum nos omnia facimus: nihil itaque, nihil est in nos crudelius nobis; nos, inquam, nos, etiam Deo nolente, cruciamus: Dei censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris jugiter commovemus; nos celestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus.

Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum? Jo. 16. 17. Deus tam benignus, ut tristitia hominibus nuntiare reluctetur. Anselm: nesciebant, quid loqueretur: quia obscure dixit. Cur dixit obscure? quia gravi erant morore afficiendi ex recessione Dominicæ iudicacione. Unde S. Chrysof. asserit, Christum eos assvescisse, æquo animo ferre suam separationem: id enim audientes obscure dictum, & animo volentes, rem ipsam postmodum facilius laturo credibile erat. Escob. t. 5. prophet. Chr. Obs. 4.

Cum non nisi coactus percutiat, quid afferri potest, quin nativâ suâ bonitate utens, indulgentem se nobis præbiturus sit, modo nostri nolmet ipsos misereat, iustisque Patris visceribus viam patefaciamus. S. Greg. Naz. or. in plagam grandinis.

§. III.

Dei bonitas accelerat poenas, nè augeantur.

Misit cum Dominus Deus de paradiso volupratis. Gen. 3. 23. Vide priori §. sub initium *erunt dies illius 120. annorum &c.*

Nunc ergo vade, & percutite Amalec. 1. Reg. 15. 3. Dum Amalecitas percussit jubentur, misericorditer tractantur: nam, si diutius viverent; sicut graviora patrent, ita gravioribus digni supplicii fierent: dum verò præmaturâ morte eripiuntur, majoribus & culpis, & poenis, liberantur. Mendoza hic.

Quis percussit Egyptum cum primogenitis eorum &c. Ps. 135. 10. David supplicia divina refert non ad iustitiam divinam, sed misericordiam, *quis percussit Egyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordiam eius:* quia misericordiam est punitionem maturare, nè dilata augeatur. Mendoza in 1. Reg. 15. sect. 2.

§. IV.

Deus velox ad beneficia, tardus ad poenas.

Ex Veteri.

*S*Ex in diebus Deus cælum, terramque fecit, magnitudines, campestria, montes, flumina, paradysum visibilem, omnem cultum, & virtutem; mare hoc magnum, & spatiosum, sex in diebus consummavit. Hic igitur tam velox in construendo, cum ceperit unius urbis demoliciæ consilium, inventus est bonitate tardus. Vult Jericho demoliri. Jos. 6. 15. & dicit ad Israel: circuite eam septem diebus, & octavâ die cadet murus. Num potentia imbecillior? sed clementiâ diutius tolerat. S. Chryostomus de

penit. hom. 5. Cur ad primum clangorem buccinæ primâ die muros Josue non prosternit? ut innueret, in punitione divina tarda molimina. Id. ib.

Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis. Gen. 3. 8. Galfindus apud Tilmanum confert hunc locum cum illo Cant. 2. 8. *ecce iste venit saliens in montibus.* Ad Adam veniens retardabatur, & incedebat lentis gradibus; utpote qui veniebat, tristem mortalibus inferre sententiam. Ad sponsam verò veniens festinat, & lætis admodum saltibus advolat, æternæ reparationis afferens medicinam. Ramirez in ep. Chr. ep. 1. § 1. *Ad auram post meridiem.* S. Ambr. in Psal. 38. putat Deum ad puniendum hominem venisse ad vesperam.

Facta est pluvia super terram 40. dieb. & 40. noctibus; Gen. 7. 12. Oleaster hic: sex diebus cuncta creaverat, quæ 40. diebus delet, ut ostendat: quàm difficile sit illi, peccatores punire.

Scribe, ob monumentum in libro delebo enim memoriam Amalec sub caelo. Ex. 17. 14. ita mandavit Deus Moyfi dum itauit, Amalecitas delere, ob negatum transitum filiis Israel. Diu cogitat creditorem agere, qui ob memoriam debita in libro scribit. Quoties minatus est Israelitis: venit finis super populum meum Israel; imminentes poenas iis ob oculos ponit, & tamen plurimis annis distulit. Ipse Christus Jerosolymæ interitum prædixit Luc. 19. 43. *venient dies in te &c.* qui non nisi 40. annis post ejus obitum contigit Schönleben Disc. 4.

Vivis Dominus Deus Israel; si eris annis his ros, & pluvia, nisi oris mei verba. 3. Reg. 17. 1. Coelum claudis Elia, & saltem claves non vis credere Deo? cur cessationem Divinæ non committis voluntati? S. Basil. Seleuc. or. 11. propensam Dei in homines benevolentiam metuit. Ipsam novit, ut citò lacrymis concilietur; novit, ut modicâ consilii, factive retractatione, poenas contrahat; nè præmaturum det ab imbrium carentia laxamentum, metuit. Baeza tr. 2. l. 8. §. 10.

Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Pl. 29. 6. Fletus ad vesperam; summò manè. *Ad annuntian-dum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Leonard. Less. de perfect. div. tit. misericordia.

Ecce iste venit saliens in montibus. Cant. 2. 8. In hoc potest intelligi festinatio sponsi ad remunerationem electorum; sicut legitur Ecclesiast. 11. 24. *Benedictio Dei in mercedem justi festinat.* Hugo Card. in Cant.

Similis est Dilectus meus caprea, binuloque cervorum. Cant. 2. 9. His comparatur propter hilaritatem, & celeritatem, multiplicis sui adventus, hæc enim in beneficiis comedant benefactoris amorem, & magnificentiam. Hinc Seneca l. 2. de benef. c. 5. & 6. omnis benignitas properat; & proprium est libenter facientis citò facere, qui tardè dedit,

& diem retrahens profuit, non ex animo fecit. Tardè velle, nolentis est. Lud. de Pontehic Exh. 3. §. 2.

Vox consobrini mei: ecce iste venit saliens &c. Cant. 2. 9. Dum loquitur cum filiabus Jerusalem, & rogat, ut excitent, & resuscitent, sponsum; subito, tanquam de loquiquo, missæ vocis sonum sentiens, dicit: *vox consobrini mei &c.* Ecce, inquit, iste advenit, adhuc eum ego quero, & ille jam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me vulneratam charitate puto; & ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi, veni; ille salit, & transiit; ego rogo eum venire cum gratia; iste gratiarum operatur augmenta S. Ambr. in Pl. 118. f. 6.

Ex Novo.

Orantes volite multum loqui. Matth. 6. 7. Cur longiorem orationem vetat? quia ita cupit dare desiderata, ut prohibeat multum tempus in una re insumere, quod ad multa, diversa petenda possit sufficere. S. Chrysol. f. 67. Christus breviter orare docuit, quicquid postulat præstare. Jo. de Pinna in Ecclesiasticum.

Omnis ergo, qui confitebitur me &c. Matth. 10. 32. Auth. imperf. hom. 25. prius Dominus dicit præmium, postea poenam: quia misericors Deus paratior est ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum indignos. Sylv. hic.

Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum. Matth. 25. 19. Si multum temporis est ad Domini reditum, quomodo Sophon. 1. 14. *juxta est dies Domini magnus, juxta est, & velox nimis?* Perpensò Domini desiderio ad remunerandum suos longum erat tempus; at attentâ brevitate hujus vitæ, *juxta est dies Domini. Adhuc modicum, quia venturus est.* Hebr. Sylveira in Jo. 16.

Venite benedicti - discedite maledicti. Matth. 25. 34. Lis inter justitiam & misericordiam orta est, & quevis primatum prætendebat; sed Deus misericordiæ causam adjudicavit; & quotiescûq; officium utraq; exercere deberet, primâ deferrentur misericordiæ. Sic prius in die judicii vocabit electos &c. Auth. Impf. hom. 54. in Matth. quia paratior est Deus semper ad beneficiandum, quàm ad puniendum, &c. Paoletti D. 6. Pent.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. 11. 5. Ille excusat, & varias causas apponit; tandem dedit, *quotquot habuit necessarios.* 3. Reg. 19. 5. *Surge, & comede.* Cujus præstat beneficium? amici, qui plures? an angeli, qui unum panem porrexerit? Dico angeli: quia non regatus dedit, & preces prævenit. Deum factis expressit, dum dormientem excitavit, & in oblii finum donum ingessit. Naxera in Jol. 15. §. 35.

Cito proferte stolam primam. Luc. 15. 22. Tardam misericordiam pater nescit. S. Chrysol. f. 3.

Flevit super illam. Luc. 19. 41. Plorat super civitate ut misericors, nolens eos perdi, qui in ea. Ostendit viscera misericordiae per fletum: quod enim miserebatur eis, & non solum ante crucem, sed & post crucem, conversionem eorum stitabat, manifestum est ex eo, quod post 35. annos Romanis traditi sunt: nam propter nihil aliud distulit supplicium, quam quod cupiebat eos converti. Theophyl. hic.

Hodie mecum eris. Luc. 23. 43. Ipse attendens merita sua, non dixit, *memento mei*, ut liberes me hodie; sed, *cum veneris in regnum tuum*. Et ille: non sic; invasisti regnum caelorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti: *hodie mecum eris in paradiso*; non te differo; tantae fidei hodie reddo, quod debeo. S. August. f. 144. de temp. *Hodie mecum eris.* Quam velox misericordia! S. Ambr. in Pl. 37. Idem in Psalm. 118. f. 8. *tuus sum ego.* Non dixit, ero, sed *sum*, jam inhabito, jam possideor; aufert dilationem, ubi iulli invenit confessionem. *Hodie*, q. d. quid me, o fidelis meus, & unicus tanti testis triumphus! quid me tanto tempore exorandum putas? ut in die iudicii mei meminere mei. Quid me, ad praesentem retributionem paratum, longe distimulas? quid in futura saecula fidem in te perfectam fatigas? Euseb. Emis. hom. de B. Larrone.

Caput ejus, & capilli, erant candidi. Apoc. 1. 14. Christus hic, ut ait Rupertus, per candorem capitis senex ostenditur; & tamen Esdras l. 4. cap. 2. v. 42. 43. *juvenem vidit: in medio eorum erat juvenis.* Cur discrimen? Esdra visus est suos coronans, & eorum meritis praemia conferens; at Joanni representabatur ut castigatus Asiae Episcopus; apud Esdras juvenis celeritate juvenili utens, ad suorum merita coronanda velociter; at Joanni senex lento gradu veniens ad puniendum. Sylv. hic q. 53.

Habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus. Apoc. 1. 16. Magnum mysterium, quod manu stellas praeferat, ore gladium. Quis ore gladium gestari vidit? nam si gladio ad feriendum utimur, manu gestandus est, non ore; & stellae caput commodè coronassent. Significat: Christum ad manum semper praesto habere stellas, quibus nos coronet; gloriam, qua nos beet; misericordias, quas nobis impertiat. Quod verò gladium in ore habeat, totam illius in ore positam esse ferociam, oris solius esse quascunque illius minas. Did. Niss. fer. 4. post Dom. I. Quadr. §. 5.

Ex Patribus.

Benignus est Dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. S. Cyrill. Jerof. Cat. 2.

Cum irascitur, differt; cum miseretur, properat, ut absolvat. S. Ambrosius in Psalm. 47.

Pissimus Deus quibusdam tribuit delicias, seu divitias; ut non solum beatitudinem possideant in futurum, sed etiam illam participent in praesenti. S. Bernard. Sen. t. 3. serm. de prosperis.

§. V.

Deus indignis, sceleratis, hostibus benefacit.

Ex Veteri.

Fecit quoque Dominus Deus Ada, & uxori ejus, tunicas pelliceas. Gen. 3. v. 21. Nota hic disparem genium Christi, & diaboli: diabolus hominem voluptate aliqua supplantat, mox eum in profundo miseriae jacentem deserit; at Deus, licet hosti suo, succurrit. Corn. hic.

Audivi murmuraciones filiorum Israel. Ex. 16. 12. Angelorum ministerio, & hominum murmure, confectum est manna. Vide, ex quali radice amaritudinis prodierit semen omnis saporis, & dulcedinis. Non jejunando, non orando, non peregrinando; sed blasphemando, impetrarunt panem caeli, & ipsas beatorum delicias devorarunt in castris. Hinc planè Israel cognoscere potuit, Dominum suum non alium esse quam Deum. Quis enim regum oblatanti sibi turbae panem daret angelorum? sulphur, & ignem erupturum ex orco in blasphemos, credidisset. At gehenna conquiescit, & caelo edicitur, ut Iarrantes comescant. Expectes inde fortè tonitrua, & fulgura? manna decidit, caelique non tam rore, quam melle, querula Hebraeorum labia respurguntur. Nimirum hac solet saepe Deus deservire pietate in rebelles. Oliva l. 5. Strom. hic.

Isti sunt dii tui Israel. Ex. 32. 4. S. Cyrill. Jerof. catech. 2. Vitulum populus fabricarat, sed non destitit Deus à benignitate. Negaverunt Deum homines, sed Deus seipsum non negavit.

Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti, & mittam praecursorem tui angelum. Ex. 33. 1. 2. Haec dixit Deus, postquam adorarunt vitulum. Oleast. nunquam hucusque legimus Deum festinasse, & urisse sic Judaeos ad terram promissam, quemadmodum nunc post peccatum, ut intelligamus: peccatores sapius ad majora dona, quam ante peccatum habuerint, resurgere. Quando autem se exhibere debebat, iustus de eorum perduellione exigendo poenas, tunc se pium ostendit; ut qui

pro

pro tuenda misericordiae suae fama, totas gratiae suae aperire portas solet. Did. Niss. de prodit. Judae §. 2.

Hi sunt dii, qui percusserunt Aegyptium omni plaga in deserto; confortamini, & estote viri Philistinum. 1. Reg. 48. his verbis Philistinorum duces, milites timore prostratos, in pugnam accendunt. Lyr. isti, ut excluderent timorem ab aliis, dicebant, *hi sunt &c.* Ne timeant, ut Deum, tacent misericordem, percussorem evulgant. Nec ineptè: nam Deus non esset, nisi misericors. Naxera in Jos. 7. §. 25.

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae. Psal. 22. 6. Ut me retrahat, & convertat. S. Anastasius Sinaita in Psal. 6. misericordia tua subsequetur me ut servum fugitivum, qui semper ad peccatum confugio. Did. Niss. fer. 6. post Dom. 3. Quadr. §. 4.

Posuerunt adversum me mala pro bonis. Psal. 108. 5. Hoc est maximum persequentium crimen, quod bonitati malitiam, & dilectioni odia reddiderunt. S. Prosper hic.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Psal. 115. 12. S. August. hic: non ait, pro omnibus, quae tribuit mihi, sed quae retribuit. Quae igitur praecesserunt hominis, ut omnium donorum Dei tributio retributio vocari possit? quae praecesserunt hominis, nisi peccata? Retribuit ergo Dominus bona pro malis; cui homines adhuc tribuunt mala pro bonis.

Tempus facienda Domine, dissipaverunt legem tuam. Psal. 118. 126. hoc est, ut pro nobis crucem ascendas, mortem subeas. Totus in periculum ultimum Mundus urgetur, veni, ut tollas peccata Mundi. Veniat vita morientibus, veniat resurrectio jam sepultis. S. Ambros. hic.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Il. 7. 14. Nota propter hoc. Hinc vide indolem Dei aliam esse, quam hominum; qui, cum incidunt in homines difficiles, aversos, inimicos, & impios, retrahunt se, concipiunt iras, & odia, vindictam. Deus verò, qui magnificò est animò, suà pietate certat cum impietate hominum, nec patitur se ab ea vinci: ideoque tunc se maximè beneficium ostendit, cum videt homines esse miserimos, & pessimos; uti hic Achaz ingrato, & pessimo, ultrò promittit verbi Incarnationem. Corn. hic.

Aures tuae audient verbum post terga moventis. Il. 30. 21. quia si nos ei terga dedimus, prius, ac elemens Dominus non dedignatur revocare nos de post tergum nostris exasperatus malis; ut ad eum quasi retrorsum faciem convertamus, & unde cecidimus, videamus. Paschal. Abb. in Thren. *Memor esto, unde cecideris, & age poenitentiam.* Apoc. 2. 5.

Suscepit de manu Domini duplicia. Il. 40. 2. Duplicia haec non de poenis, sed gratiis, accipi possunt; q. d. Deus ita dimisit

Ecclesiae iniquitates, itaque eam per Christum consolatur, ut duplicia, id est, multiplicia bona, gratias, & consolationes, ex immensa Dei misericordia, susceperit pro suis peccatis. Haec est vindicta digna, & propria Deo; ut bona reddat pro malis, & eaque duplicia. Ejus enim bonitas tanta est, ut certet cum malitia hominum, eamque obruat. Cornel. hic.

Non desinam eis benefacere. Jer. 32. 40. Hic bellum inter divinam bonitatem videtur prius peccata populi describuntur, tum Deus promittit ingentia beneficia: *non desinam &c.* Leon. Lest. de perf. div. l. 7. cap. 1. Bonus.

Ex Novo.

Exeuntes Pharisei consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. Matth. 12. 14. Quid Christus? recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes. S. Remigius apud Abul. ut non putaretur, quod Christus, offensus à Judaeis, cessaret eis benefacere. Semper enim benefaciebat; & saepe, cum gravius eum persequerentur, abundantius illis benefaciebat. Did. Niss. D. 4. Ad. §. 2.

Aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, &c. Luc. 8. 5. Coelestis agricola in petram, in viam, in terram spinosam, & in terram bonam, beneficiorum grana misit; bonos, & malos, donis affecit. Arnob. l. 1. contra gentiles: Christus aequaliter bonis, malisque, subvenit, nec repulsus ab hoc quisquam est: hoc est enim proprium Dei veri, potentiaeque regalis; benignitatem suam negare nulli; nec reputare, quis mereatur, aut minimè. Rom. 10. 12. *idem Dominus omnium, dives in omnes.* S. Chrysost. in Psal. 43. quia Deus est omnium, dives est in omnes, & super omnes. Efcob. l. 6. parab. Chr. l. 8. sect. 1. Obf. 3.

Homines cujusdam divitis uberes fructus ager arulit. Luc. 12. 16. Cur abundavit ager hominis, nihil boni ex copia facturi? ut major Dei benignitas appareat, & usque ad tales ejus bonitas extendere, qui *pluit super justos &c.* S. Basil. serm. in div. avar.

Misericordiam motus est. Luc. 15. 20. Ne verearis, ne te non recipiat: non enim delectatur Deus perditione peccatorum, jam occurrens venienti tibi cadit super collum; Dominus enim erigit elisos. Osculum dabit, quod est pignus charitatis, & amoris; Stollam, annulum, calceamenta, proferri jubebit. Tu adhuc injuriam metuis, ille restituit dignitatem; tu supplicium vereris, ille osculum defert; tu convitium times, ille adornat convivium, S. Ambr. hic. Rogo, quis hic desperationis locus? quae hic excusationis occasio? hic simulatio quae timoris? nisi forte timeatur occurfus, terret osculum, turbat amplexus. S. Chrysost. f. 3.

Videns

Videns civitatem flevit super eam. Luc. 19. 41. Euthym. civitatem Jerusalem, propter immensa vitia destruendam; humano modo Christus, pro immensa sua bonitate, deflet; etiam hinc ostendens, qualia habeat erga ingratos viscera.

Sic Deus dilexit Mundum. Joan. 3. 16. Quem diligit? Mundum. O ineffabilem clementiam! Quod angelos diligit, non mirum; sunt enim, ut ait Psalm. 102. 21. *ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus.* Quod justos diligit, non mirum: quia ab ipsis amatur, Cant. 1. 3. *recti diligunt te.* Quod si dixisset, ab eo creaturas irracionales diligi, etiam non esset mirum: *quoniam omnia servantur tibi.* Pf. 118. 91. Sed, quod diligit Mundum, proditorem, rebellem, suae divinae voluntati resistentem, de quo Jo. 1. *Mundus cum non cognovit;* justorum persecutorem, in maligno positum; quis non stupeat? Diez Conc. 1. fer. 2. Pent. Quid huic excellentiae par fuerit? qui innumera beneficia contulit, contumelia affectus est; & contumelia affectus non solum non exegit poenam, sed & dedit Filium suum, ut conciliemur. Et postquam, qui acceperant, non conciliati sunt; sed & occiderunt: Iterum misit alios legatos obsecrantes; & illis missis, ipse est, qui obsecrat. S. Chrysof. hom. 11. in c. 6. 2. ad Corinth.

Cum dilexisset suos. Jo. 13. 1. Quod divinae pietatis indicium clarius, quam ab hominibus trucidari? & adhuc homines amare? non scelera hominum respicit vis amoris, sed id solum, quod homines valeant amari. Non videt delicta, & rabiem, sed videt opus suum; videt suos, cum dilexisset suos. Baeza l. 3. c. 7. §. 6.

Spiritus, ubi vult, spirat. Jo. 3. 8. Petr. Dam. opusc. 6. c. 8. non legitur: Spiritus, ubi dignum est, spirat; sed potius, *ubi vult, spirat*, dictum est. Tali ratione ostenditur, quod Spiritus est Deus, & infinitus benefactor: ut, qui non expectet, donec beneficiis provocetur, ut pro eis beneficia reponat; sed in eos etiam, a quibus offenditur, donorum suorum thesauros erogat. Did. Niss. de prodit. Judae §. 2.

Pertransit benefaciendo. Act. 10. 38. q. d. ejus cursum non alium, quam Solis fuisse, illuminando, & fovendo, cursum perpetuo peragit. Inc. Auth.

In qua nocte iradebatur &c. 1. Cor. 11. 23.

Ex Patribus, & aliis.

Quam multa habeant impii in hac vita munera, & dona gratuita, ab illo, quem contemnant, enumerare quis potest? inter quae illud magnum, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas hujus Saeculi dulcedini, tanquam bonus Medicus miscet; admonet eos, si attendere velint, fugere ab ira ventura: & cum in via sunt, id est, in hac vita, concordare cum sermone Dei, quem sibi adversarium fecerunt male vivendo. Quid ergo non miseris

Polyanth. Sacr. Tom. I.

corditer hominibus praestatur à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est: nam res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei. S. August. ep. 87.

Considerans vitam meam praeteritam, video, quid mihi debebatur, & quid acceperim pro eo, quod mihi debebatur. Debeatur poena, sed reddita est gratia; debebatur gehenna, data est vita aeterna. Id. in Pf. 70.

O homo! faciem tuam non audebas ad caelum attollere; oculos tuos in terram dirigebas; & subito accepisti gratiam Christi. Omnia tibi peccata dimissa sunt; ex malo servo factus es bonus filius. S. Ambros. l. 5. c. 4. de Sacramentis.

Divitias bonitatis Dei ille agnoscere potest, qui considerat; quanta in terris mala quotidie homines gerant; & quomodo pene omnes declinantes, & simul mutiles facti, latam, & spatiosam, perditionis ambulant viam; angustio vitae itinere neglecto: & his omnibus Deum producentem solem suum quotidie, & pluvias ministrantem; si quis consideret, quanti in Deum quotidie blasphemant. Origenes in ep. ad Rom. l. 2. c. 2.

Denique si quid ago utile, prorsus nullatenus ego compenso alimentis corporis, quibus auctor. Sed quis pascit pecus, quod non tantum prodest, quantum consumit. Et tamen tu benignus Deus, tu nutris, & expectas tuum inutilem, verum & foeculentum peccatis. S. Anselm. l. de miser. hominis.

Quid tandem est, quod Deus non fecerit, ut à nobis amaretur? quid autem non est commertus? quid autem omisit? Illi contumeliam fecimus, qui nobis nihil injuriae intulit, sed magis infinita, & ineffabilia exhibuit. Aversati sumus vocantem, & undique attrahentem; eum tamen neque sic nos punierit, sed ultro accurrerit, fugientisque detinuerit. Nos vero, illò rejecto, ad diabolum transilivimus. Ac nec sic quidem abstinuit; sed innumeros iterum exhortatores, & sollicitatores, misit, prophetas, angelos, patriarchas: quorum tamen nos legationem non solum non admisimus, sed & contumeliosè tractavimus. Ipse vero nec ob ista quidem nos aversatus est &c. Et post ista omnia occidimus prophetas, & lapidavimus, atque innumera hujusmodi mala perpetravimus. Quid igitur pro istis omnibus? non jam prophetas, non jam angelos, non jam patriarchas, sed ipsum mittit Filium. Occiditur & ipse. Verum nec sic extinguitur ingens illius amor, sed magis accenditur; perseveranter exhortans, etiam post occisum Filium; & obsecrans, nihilque non faciens, quatenus ad ipsum revertamur. Si homotalia erga nos fecisset, an non in illius servitutum nos jam saepe dedissemus? & cur Deum ista facientem aversamus? o socordiam! o ingratitude! S. Chryf. l. 5. in ep. ad Rom. c. 2.

Si magnum est, nihil promerentibus gratias impendere multa; quale, quantumve erit, tribuere bona promerentibus mala? O qualis pietas! quam nulla nostra superare potest impietas. Rich. à S. Viçt. lib. Benjamin. c. 12.

Tertull. l. de pœnit. c. 3. patientiam Christi laudans, ait: non illi saltem civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est: cum etiam Discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent; ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Quasi hoc sit maximum rationis tormentum, beneficiorum oblitus, ac ingratis, contulisse beneficium. Naxera in Jos. 7.

Stellæ productæ in celo, designare possunt dona Spiritus Sancti. S. Aug. Raulinus D. 4. post Nativ. f. 9. quæto magis frigus viget, tantò magis videtur stellatum cœlum. Quò magis congelatus peccator usu criminum, eò lucent splendidiùs stellæ gratiarum Dei. Did. Niss. D. 4. Adv.

Non coarctor ipsâ multitudine, non fatisco; omnes recipiam: quia non tam exiguum est benignitatis meæ pelagus; ut, licet inundent facinorosorum torrentes, in angustum adducatur. S. Basilus Seleuc. or. 29.

Tanta est Dei benignitas, & tam liberaliter sua bona nobis communicat; ut & indignatio, & obmurmuratio, inde nasci possent: id quod & in familiari colloquio dicimus. Sæpe, cum beneficiis quempiam affecimus, & deinde gratias non egerit, dicimus: reprehendunt me omnes, quòd tanta in te beneficia contulerim, quamvis fortè nemo nos reprehenderit; attamen, magnitudinem beneficentiæ ostendere volentes, ita fingimus. Theophyl. in Luc. c. 15.

O ineffabilis misericordia tua, Domine, quæ supra id, quàm cogitari possit, declarata est: nam nescientes te sollicitè quæsiti; deserentes te non deseruisti; peccantibus tibi benignissimè indulisti, averfis longius à te viam ostendisti aeternæ salutis. Si tam pius factus es inimicis, quid eris amicis? Thom. Kemp. ferm. ad fratres l. de Incarn. Chr.

§. VI.

Bonitas Dei, nomen, laus, fortitudo, gloria.

Fortissime Deus! num, unò peccante, contra omnes ira tua deserviet? Num. 16. 22. Fortitudo, & potentia Dei, in parcendo & miserendo. Bæza l. 1. c. 9. §. 6.

Non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum. 1. Reg. 22. 22. id est, propter misericordiam tuam. Mendoza in l. 1. Reg. 12. 20.

Implevit gloria Domini domum Domini. 3. Reg. 8. 11. quò porro illud modò? nempe in condonando, & propitiando. Et verè templum illud propter propitiationem ædificatum est; quod erat ex ligno sethim, Ex. 25. 13. alii dicunt ex spina, quod aurò tegebatur. Hæc est gloria Domini, spinas ipsas peccatorum aurò charitatis convellere. Omnes peccaverunt, & egenz gloriâ Dei. Rom. 3. 23. nempe, pro-

pitiatione, & condonatione. Canit Ecclesia: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Videtur impropria locutio: neque enim majestati regis dantur gratiæ, sed admiratio, & reverentia. Beneficia requirunt gratiarum actionem. Ità verò; gloria Dei est, condonatio, & propitiatio, magnum utique beneficium. Doult. de amore l. 4. sect. 4.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. Pf. 24. 11. id est, propter nominis tui gloriam vel misericordiam tuam: hoc est enim nomen Dei. *Redime nos propter nomen tuum*. Pf. 43. 26. Chald. *propter bonitatem tuam*. Hebr. *misericiordiam*. Oclavian. in Eccl. 18.

In templo ejus omnes dicent gloriam. Pf. 28. 9. In ipsa autem dedicatione, & deinceps, implevit gloria Domini templum &c. vide paulò superius.

Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Pf. 49. 15. Et illud Achaz II. 7. 12. *non petam, & non tentabo Dominum*. Hier. legit: *& non glorificabo Dominum*. Quoties à Deo misericordiam petimus, toties Deo laudem impertimus; juxta prædictum: *Invoca me, &c.* Mendoza in 1. Reg. 1.

Quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia. Pf. 61. 13. id est, ex magnitudine potestatis tuæ, Domine, immensitatem tuæ misericordiæ concludo, & colligo. Lorin. in c. 11. Sap. v. 24. quasi diceret: ideo ista, quia illa, *Deus volens ostendere iram, & nosam facere potentiam suam*. Rom. 9. 22. quid fecit? an orbis magnam partem dejecit? &c. *Sustinuit in multa patientia vasa ira apta in interitum*. Did. Niss. D. 19. Pent. §. 3.

Laudate Dominum, quia bonus. Pf. 134. 3. Laus Domini nec uberius significari, nec plenius potest, quàm cum dicitur *Bonus*. S. Prosper hic.

Misereris omnium, quia omnia potes. Sap. 11. 24. Videbatur dicendum cum Joële 2. 13. *quia benignus, & misericors est*. Nimirum potentes oportet esse clementes. Ecclesia orat: *Deus, quia omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando, manifestas*. Et: *confiteor Deo omnipotenti*. Nadasi ros. cœl. Bonitas Dei.

Laude meâ infranabo te, nè intereas. II. 48. 9. Laus hæc, quâ Deus infranavit Judæos, fuit Dei in ipsos indulgentia, & misericordia, sive Dei in ipsos beneficia. Nihil enim Deum ita commendat, & laudabilem facit, ac clementia, & beneficentia; quæ regum, & principum, propria est virtus; quæque subditos frænat, ac cogit eos amare, eisque obsequi. Porro hæc laus Dei, sive frænum, putà beneficentia, duplex fuit: prior fuit tribulatio, scilicet captivitas Babylonica: hæc enim, quasi frænò, Deus populum in scelera, & interitum, ruentem, infranavit, & ab idololatria, aliisque sceleribus, retraxit, & ad se revocavit. Sept. vertunt: *gloriosa mea inducam* super te, Gloriosa, hoc est, gloriosam liberationem à Babylone, ait Cyrillus; qui addit: Dei gloria est, posse omnibus sinè labore dominari, servare, & misereri. Corn. hic.

Ex

Ex Novo.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. Non apte leprosus de Domini voluntate dubitat, qui sanandi potentiam profiteatur. Potes mundare? ergo vult, si ab homine obstaculum non fuerit positum. Philo de migrat. Abrahæ: liquet, apud Deum esse potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubat, *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem iustus iudex.* 2. Tim. 1. 1. 2. quodnam illud depositum? Ambr. propriam salutem. Anselmus. bona opera, cum spe æternæ retributionis facta. Chrysof. ipsos Fideles. Cur non dixit, potens est, & vult? Superfluum esset. Escob. t. 1. mirac. Chr. Obf. 3.

Et vidimus gloriam ejus. Jo. 1. 14. *plenum gratia.* S. Bern. l. 6. in vigil. Nat. Dom. non enim gloriam potestatis, aut claritatis, vidimus; sed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ, de qua Paulus Ephes. 1. *in laudem gloria gratia sue.* Corn. hic.

Et vita erat lux hominum. Jo. 1. 4. Cur non dicitur lux creaturarum, vel angelorum? quia angeli Sancti semper perseverarunt in gratia, homines exciderunt. Et Deus plus glorietur, quod sit eorum lux, qui à salute deperdita revocati sunt ad vitam, quam eorum, qui semper in charitate perseverarunt. Sylv. hic q. 26.

Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Rom. 3. 23. Quid enim nobis gloriosius, quam quod tantum affirmavit nos Deus? quævis major illi gloria, quam tanta dignatio, & tanta benignitas; eò utique dulcissima, quod tam gratuita. S. Bern. l. 3. in Circumcis.

Vocavi nos propria gloria, & virtute. 2. Petri 1. 3. gloria, id est, gloriosa gratia: gloria enim metonymicè accipitur pro gratia: quia gratia est index, & effectus, gloriæ, & gloriosæ misericordiæ Dei. Deus enim suam gloriam, id est, gloriosam potentiam, sapientiam, & misericordiam, maxime ostendit per gratiam; dum per eam nos peccatores, & viles, & indignos vocavit ad suam amicitiam, hæreditatem, regnum, & gloriam. Corn. hic.

Dei species, ac decòr, est ejus bonitas, ac benignitas, & in omnes beneficentia. S. Chryf. in Pl. 49.

Ex omnibus nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque Entis nomen, quemadmodum ipse Ex. 3. 14. *qui EST misit me.* Universum enim id quod est, tantam immensum quoddam, atque infinitum essentia pelagus complexu suo continet. Ut autem Dionysio placet, primarium ipsius nomen, *Bonus* est. S. Jo. Damasc. l. 1. de orthod. fide c. 12.

§. VII.

Bonitas Dei variè manifestata.

Ex Veteri, Novo, & Patri-
bis.

Processit vos in via, & metatus est locum,
in quo tentoria figere deberetis; nocte
Polyanik. Sacr. Tom. 1.

ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. Deut. 1. 33. Quid solent servi dominos suos præcedere in via & explorare, & parare eis hospitia; hic verò vides Deum servus hospitia, ac quietem quærere. Est hæc magna Dei tui dignatio sit; major tamen est, quæ sequitur: ut scilicet eos, quasi puer, lumine præcederet.

Bene omnia fecit. Marci 7. 37. qui primam creationem aspiciens, cuncta, quæ fecerat, erant valde bona. Nescit ab ista potentia, præterquam quod bonum est, egredi; sed ipsa creatura se trajicit in vitium. Sim. de Cass. l. 1. c. 25.

Mirabilis Saulis interrogatio. *Quis es Domine?* Act. 9. 5. mirabilior Domini responsio: *Ego sum JESUS.* Quis non expectaret hic illas antiquas Domini amplitudines? Ego sum Deus Abraham &c. Addit c. 22. 8. *Ego sum JESUS Nazarenus.* Et sic legunt in præsentem Lectie Syra, & Græca. S. Chrysof. in Pl. 50. ad ea verba, *secundum magnam misericordiam tuam.* Ego sum, inquit, JESUS Nazarenus, quem tu persequeris. O ineffabilis sapientia Domini! quare non dixit, ego sum Filius Dei, ego sum in principio Verbum? sed quid ait illa benigna pietas, & ineffabilis clementia? *Ego sum JESUS Naz.* de inferiori, & humiliori loco, de parva civitatali. Infimi generis, & inferioris nominis argumenta produxit; ut teneat Paulum fugientem: quod de paupere matre, & ignobiliore Nazaret civitate, natus sit. Quæ quidem, quanto inferiora sunt, majorem Domini JESU benignitatem ostendunt. Arcones in Is. 1. Disc. 1.

Opera Creatoris abundè testantur & bonitatem ejus, quæ bona; & potentiam, quæ tanta; & quidem ex nihilo. Tertull. l. 2. adv. Marc.

Quid non pro suo genere, ac pro suo modulo, habet similitudinem Dei? quandoquidem Deus fecit omnia bona valde; non ob aliud, nisi quia ipse summè bonus est. S. Aug. l. 11. c. 5. de Trinitate. Incredibili ipsius Bonitate factum est, ut ex his rebus, quæ naturæ nostræ conveniunt, nominari voluerit; ne alioquin cognitionis ipsius prorsus expertes simus. S. Jo. Damasc. l. 1. de orthod. fid. c. 15.

Finis omnium divinorum operum, est manifestatio divinæ bonitatis. S. Thom. in ep. ad Rom. c. 9. lat. 4.

Tria sunt invisibilia Dei, potentia, sapientiâ, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, sapientiâ gubernat, benignitas conservat: quæ tamen tria, sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat, sapientiâ per potentiam benigne gubernat, benignitas per sapientiâ potenter conservat; Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiâ decor, bonitatem utilitas. Rich. à S. Vist. tr. Exposit. l. 2. c. 2.

§. VIII.

Bonitate Dei non abutendum.

Defecimus in ira tua. Pl. 89. 7. q. d. Domine, tu iratus es nobis propter peccata nostra, & flagellasti nos; sed non correximus nos, sed in ira tua defecimus murmurando, impatienter sustinendo, à peccatis non cessando. *Percussisti eos, & non doluerunt.* Jer. 5. 3. *Nè deficias, cum ab eo corripieris.* Prov. 3. 11. Multi ergo deficiunt in ira, sed plures in misericordia: qui inde peiores fiunt. Hugo Card. hic.

Indulxisti genti, Domine nunquid glorificatus es? Il. 26. 15. Sensus est: saepe miseratus es gentibus, id est, humano generi, & exercuisti in eas incredibilem clementiam; nunquid te cognoverunt? nunquid glorificaverunt nomen tuum? nonne è contrario longè à te recesserunt? securitas enim negligentiam, negligentia contemptum parit. Hier. hic.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20. 15.

Nemo ideo deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur Tertull. lib. de poenit.

Nunc sunt tantò quidam magis impii, quanto est benignior Deus, ac humanior. Clem. Alex. or. ad Græcos.

Quò major est Dei benignitas in nos, hoc major erit ultio; nisi illius benignitate, sicut oportet, utamur. S. Chrysol. in Acta hom. 1.

Væ illis, qui rebelles sunt lumini, & resistunt Spiritui Sancto, nec acquiescunt veritati! & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate, & beneficiis Dei, duriores fiunt, audacter etiam provocantes eum, cum ipse dederit omnia in manibus ipsorum. Guarrius serm. 1, die Pent.

§. IX.

Varia de Bonitate Dei.

Benedictus Dominus quoniam mirificavit (Symmach. illustravit) misericordiam suam mihi in civitate munita. Pl. 30. 22. Sic enim ait, propria benignitate circumdedit, & munit ut civis valido aggere urbem vallant. B. Theodoretus. hic.

Facies hominis. Ezech. 1. 10. insigne est, representans Dei bonitatem, & mansuetudinem. Corn. hic.

Vide ibi de aliorum animalium faciebus.

§. X.

Bonum in genere.

Non est bonum. Gen. 2. 18. Bonum, secundum Dionysium, est sui discursivum; solus autem si esset vir, non posset se diffundere: ergo si esset solus, non esset sufficienter bonus. S. Thom. hic.

Quemadmodum non est lux, quæ non illuminat; neque movens, quod non movet; ita nec bonum, quod non prodest. Clem. Alex. l. 1. pæd. c. 3.

Ejusdem est difficultatis, & bonum aliquid, quò antè carebas, adipisci, & cum adeptus fueris, conservare. S. Greg. Naz. or. 40. in S. Baptisma.

Bona, quæ sunt bona, scire, nisi malorum cognitione, non possumus. S. Chrysol. l. 131.

Impossibile est, bonum aliquid fieri, quin simul etiam pullulet malum. S. Chrysol. in Acta hom. 33.

Non potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. Orig. tr. 5. in cap. 8. Matth.

